(2)

PHARMACO-POEIÆ AUGUSTANÆ RESTITUTÆ,

ab

Ejus Autore,

Luca Schröckio, LUC. Fil. Medicinæ Doctore, & in Patriâ Physico,

suscepta

DEFENSIO.

Qua imprimis Dn. D. Friderici Hoffmanni argumentis, in Clave Pharmaceutica Schröderiana, contra prædictum Dispensatorium, pro Zvelferi defensione, prolatis respondetur; simulque Cujusdam ficto nomine vocati Philonis Nasturtij Postscriptum, & hanc respiciens Schmuziana Antithesis excutitur.




ANNO S. R. M. DC. LXXV.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Impensis Theophili Göbelij,

Typis Johannis Schönigkij.




0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10



Generis ſplendore, multijugæ Doctrinæ gloriâ,
Artis excellentiâ, Meritorumq; amplitudine
maximè conſpicuo
atque verè nobiliſſimo

DN. JOHANNI GEORGIO VOLCKAMERO,

Medicinæ & Philoſophiæ Doctori,
Illuſtris Norimbergenſis Reipublicæ Phyſico,
Fautori meo plurimùm colendo,

SALUTEM!

TEnues haſce Pagellas Excellentiæ Tuæ inſcribo, non ut laudes, quæ debentur ampliſſimæ, aut illuſtria, labori indefeſſo atque humanitati maximæ adſcribenda merita, quibus non ſolùm Artium præſtantiſſimæ Filios Tibi divinctos reddidiſti, ſed & Principum ac Magnatum favorem, multorumque Aliorum amorem & obſequium in Te ubertim derivaſti, hac occaſione decantem; qui, nullâ ab annorum, longâ quamvis, ſerie oblivioni illa tradi poſſe, ac impari commendatione meâ obfuſcari potius,

 tius,

tius, quàm condigno ſplendore exornari, ſcio; ſed quò publico hoc monumento pharmaceutico, quod conſummato Tuo judicio eò lubentiùs ſubmittitur, quò majorem dextrè adplicandi medicamenta, eademque, Medico non indignâ operâ, artificiosè elaborandi laudem mereris, quantum Tibi & ipſe etiam debeam, teſtarer; cùm & primos pueritiæ annos prementi, & hucusque incorrupto ſemper adfectu plurimùm favere mihi, dignatus fueris; unde memoriam hujus meo ſeneſcere in animo ſi paterer, ingratiſſimus omnium meritò dicendus forem.

Sereno itaque vultu exiguum hoc, quod offero, memoris gratique animi indicium (majora ſiquidem me debere, ingenuè fateor,) accipe, certus, nihil unquam me intermiſſurum, quod ad Excellentiæ Tuæ cultum & obſequium proficiſci à me poterit.

Interea pro ſalute Tua DEUM veneror, ut TUIS, quibus nil dulce Te ſine eſſe poteſt, diu lætus atque felix interſis, ſicque amore Tuo gratioſo ac prolixâ benevolentiâ diu amplecti unà valeas

CELEBERRIMI TUI NOMINIS

ſincero animo

Dab. Auguſtæ Vind. A.O.R.
CIↃ.IↃC.LXXV. *M. Auguſt.*

cultorem addictiſſimum

Lucam Schröckium, LUC. Fil. Med. D.



LECTORI
Salutem!



Pharmacopœjam Augustanam contra Joannis Zvelferi Animadversiones defendere, cùm ante biennium & quod excurrit, instituissem, duram me suscepisse provinciam, atque inexpiabiles mihi imminere inimicitias, ipsemet prædixeram. Nec fefellisse me opinionem, ex Postscripto illo adparuit, quod larvatus Philo-Nasturtius Censuræ suæ Schmuzianæ, tunc in lucem emissæ, adjunxerat. Imò non defuit ipse D. D Michaël Raphaël Schmuzius in Antithesi, sive Scripto præfatæ Censuræ opposito, me subinde tangere. Ut aliorum dicta & scripta perversa judicia, cùm publici juris facta non fuerint, meramq; invidiam, partim crassam ignorantiam, turgidamvé arrogantiam sapiant, hac vice taceam; quibus utpote tum demum, si aliquando meditationes illæ typis commissæ fuerint, obviam eundum, ac quid magnifici comprehendant, circumspiciendum erit.

Illa verò modò nominata Virorum Biga tantum abfuit, ut me in fermentum egerit; quin potius leves, ne durius quid dicam, Chartas istas, à Seneca cap. 10 de tranquillit. anim. nihil tam acerbum esse, edoctus, in quo non æquus animus solatium inveniat, cum quadam animi delectatione intuitus fuerim. Salvam etenim rem meam esse, mihi persuadebam, ideoq; gratulabar, cùm nil nisi turpia, inania & malesana verba proferri viderem, tantæ virtutis, ut idem præstitum fuisset, si planè tacuissent.



Quamvis hac arte aliorum similis farinæ Zoilorum animum titillari, facilè credam, ut vel hac ratione non planè frustra laboraverint Typographi. Sed quis tantillum gaudij ipsis invideat?

Horum igitur intuitu nolui me hactenus nugis istis opponere, imò nec calamum contra eas unquam strinxissem, nisi nuper demum alia occasio manibus eundem imposuisset. Ut ita vel paucis saltem, quæ circa hoc negotium monenda esse, occasio nunc jubet, indicare, ne silentium meum pusillanimitatem, aut de justa victoria desperationem Momorum facundia interpretaretur, sibiq; ipsis sapere viderentur, æquum duxerim, & jam, quod in fine Pharmacopœjæ Augustanæ Restitutæ posui, me scilicet unicuique dictam Pharmacopœjam invasuro, mox debito responso non esse obviam iturum, sed unâ fideliâ duos pluresvé dealbatum iri parietes, adimpleam; novo quidem me periculo, invidorumq; & adversariorum sarcasmis, tum qui infami scripto exagitare me propterea, vix cessabunt, tum similem & extortum certandi modum, ceu mera convitia redolentem, ipsi Convitiatorum maximi, proclamabunt, ita exponens; sed nihilominus æquo animo imperitorum istorum convitia auditurus; quia, ad honesta vadenti contemnendum esse ipsum contemtum, sapientis Senecæ, epist. 76. consignatum, monitum semper infixum animo hærebit.



Rescri-



Reſcriptum ad PHILONEM NASTURTIUM.

LUcifugæ hujus *Poſtſcriptum*, in Vernacula elaboratum, eandem in ſui excuſſione ut adhibeam, quamvis depoſcere videatur, nolui tamen alio, præter communem illum Eruditorum interpretem, Latinum, uti ſtylo, cùm eodem *Pharmacopœjæ Auguſtanæ* Reſtitutionem peregerim, ut adeo in alium prodire forum inconſultum reputem.

Quo verò modo reſpondere Antagoniſtæ huic deberem, longùm dubitavi, tandemque omnium optimum fore judicavi, ſi percurrendo ſaltem, unum alterumvé, quod moneri præ cæteris dignum foret, producerem. Singulas enim lineas, aut verba excutere, ipſaque convenientibus notis illuſtrare ſi vellem, chartam inutiliter perderem, & Lectori nil niſi tædium, mihi verò nullum patrocinium pararem; cùm præter fabulas, ſcommata, & effrenem cavillandi libidinem, parum ferè contineant aliud; adeo ut exſibilaſſe iſta, ſit refutaſſe. Imprimis cùm Autor, peſſimæ cauſæ, quam agit, dubio procul diffiſus, nomen adponere ſuum timeat, imò nec Typographi, lociúe, cui egregius hic fœtus, ſive libellus famoſus, unicè dignus, qui inutilium *ſchidiorum, ligniq;* inſtar putridi Vulcano conſecretur, natales

natales debet, contra sacram Imperialium Constitutionum voluntatem, nomen fuerit additum.

Quanquam hæc omnia tam occultè haud fuerint peracta, ut non Autoris nomen mihi, de Typographo tantopere haud sollicito, innotuerit; quem scilicet eundem esse, non unâ Amicorum fidâ relatione compertum habeo, qui *Friderici Mülleri* sub nomine, in *Umbrâ redivivi Zvelferi*, Augustanum Medicorum Collegium impudentissimè adlatrare ausus fuit, eoque stimulum, ad moliendam Pharmacopœiæ nostræ Restitutionem, tunc ob rationes olim adductas nondum susceptam, mihi addidit.

Sed cùm ipse Autor nomen suum tenebris damnaverit, nec à me luce dignum æstimabitur.

Quò tamen larvam sibi detractam, experiatur, meoque me stare promisso, quod *pag. 5. præfat. Pharmacop. August. Restit.* occurrit, videat, aliqua per jocum hîc illîc profero, ex quibus abunde, quàm minimè lateat, cognoscet; idque non tam cavillandi eum, quàm potius ad meliorem mentem perducendi causâ, atque ut discat, vel planè nihil, vel, si non proprio sub nomine, rationi & humanitati saltem congrua, in posterum proferre. Erudito siquidem Orbi, cujus pars esse desiderat, quam ipsi laudem, si fortè mereatur, haud detraham, nondum innotuit, nec, præscripto modo ubi sese gesserit, publicè unquam hac in causa à me nominabitur, sed potius, edito scripto ad novum certamen literarium si fortè me alliceret, ita, ac si nunquam me violasset, excipietur. Aliàs publicam larvæ detractionem, ubi ita visum fuerit, polliceor. *Zvelferi* defensio ubi peragenda est, annon majori cum honore, atque successu laudabiliori, absque infernali calumniarum & convitiorum veneno illud fieri potest? *Zvelferi* sanè causa aliàs suspecta saltem magis magisque redditur; prout *Philonis Nasturtij Postscriptum* exempli loco inservire potest.

Hujus

Hujus *paginam primam*, cùm præter ſcommata, meram exhibeat fabulam, intactam Autori remitto.

Nec *altera*, quæ ſequitur, alicujus eſt momenti, meris referta nugis; dum ex. gr. in fronte *Pharmacopœjæ Auguſtanæ Reſtitutæ* poſitum Emblema exagitans, iconem, quâ *Pharmacopœja*, & quidem *Auguſtana*, oculis exhibetur, ipſam auguſtam Urbem noſtram interpretatur, inſignia ejus uvam eſſe ſomniat, ex *Paracelſi* verò adpoſita ſtatua Apotheoſin ejusdem ſtupidè collegit.

Lineâ ultimâ, nec non *paginâ tertiâ Lucis* me *filium* adpellat. Quod licet illo: *Luc. Fil.* non indigitaverim, cùm omnes vel modicè eruditi facilè, quid denotet, perſpiciant, non unam tamen ob cauſam epitheton hoc admitto, deque ſponte oblato Antagoniſtæ honorifico teſtimonio mihi gratulor. Et utinam eodem *Naſtutium* quoque condecorare liceret, qui potius tenebrio, id eſt, qui tenebras amat, proprij nominis indecorâ obſcuratione, inſigniri cupit, calumniarumque & convitiorum effuſione, non Lucis, ſed Principis tenebrarum & omnium calumniatorum Coryphæi ſe eſſe filium, oſtendit!

Paginâ tertiâ nova ſiſtit deliria, quæ inibi, ſi cui libet, evolvantur. In *fine* autem *Friderici Mülleri*, *Viennenſis olim Pharmacopœi*, cauſam agere incipit. Ubi pietatem *Philonis* laudo & extollo; quippe benignus ipſi erat *Müllerus*, ſtipendium, uti refertur, annuum, à *Zvelfero* pro famæ ſuæ ſcriptorumve defenſione conſtitutum, amicè in ipſum derivans, ſicque in alienæ libidinis mancipium *Philonem* transformans; ubi, ſi viveret *Terentius*, denuo exclamaret: *His nunc præmium eſt, qui recta prava faciunt.* Quamvis *Zvelferi* cauſam, tali fulcitam patrocinio, ſatis infirmo ſtare talo, cùm virtus, & quæ ei militat, veritas, iſtâ non indigeant defenſione; & ſat habeat Favitorum ſemper, qui rectè facit, primâ ſtatim fronte ſuſpicari quis facilè poſſit; *Naſturtius* autem illorum è numero ſe eſſe prodit, quærendam pecuniam

primùm esse, virtutem post nummos, qui judicant. Quos Philargyros non facilè, nisi cessante lucro, saniorem recuperaturos mentem, sicque apologiâ hac novam me calumniæ materiam *Zvelferiano stipendiario*, modò cum *Müllero* ipsum quoque stipendium non animam dimiserit, parare, est credibile.

Paginâ quartâ scopum deserit, & vel præter opinionem *Müllerus Nugatorum coryphæus* (sic enim *Cryphæus* legendum puto,) ipsi dicitur; prout verborum constructio clarè illud indicat.

Elogio hocce postquam *Müllerum* suum mactavit, indignatur, me, cum modò nominato Patrono suo arenam ingredi, recusare, ac præ fervore talia eructat, quæ omnem ipsi periisse pudorem, omine pessimo, loquuntur, indignumque planè eum reddunt, qui *Hippocratem* suum Patronum, uti *paginâ secundâ Postscripti* illum salutat, jure ampliùs venditare queat; cùm is *libr. de Medico* requirat, ut animum modestum habeat arti isti operam navans, ac honestis moribus sit præditus. Et in *jurejurando* à suis exigit, *castè* & sanctè ut vitam suam conservent.

Rationes etiam meas, ob quas *Mülleri* certamen detrectem, adducit atque perstringit; quia scilicet: 1. *disputare cum homine. ἀμύσῳ indecorum.* Ubi non eâ, qua decet, ingenuitate, ceu etiam in aliis, verba mea proferuntur. Minimè etenim hunc in modum scripsi; sed, uti *pag. 11. præfat.* videre est: *disputare cum homine ἀμύσῳ, indecorum, frustraneum est.* 2. *quia in dispari professione indecorum alienæ sese ingerere messi.* Quæ verba nullibi in meo Opere reperiuntur; licet alia similia, modò ritè explicentur, inibi occurrere, haud contradicam. 3. quia *Umbra redivivi Zvelferi Müllerum* autorem non agnoscat; hoc enim ista eleganter prolata verba: Die *Umbram Zvelferi* hätte Müllern nicht gedienet / sibi velle, divinare si licet, autumo. Verùm uti haud inficias eo, cum *Müllero* disputare me noluisse: ita rationes quoque, ne

factum

factum hoc finiſtrè quis interpretari queat, repetere neceſſe duco. Primaria itaque fuit, quia, Auguſtanos protervè ſatis provocantem *Müllerum* adlocutus, diſputare cum ipſo, tanquam homine ἀμύσῳ, indecorum & fruſtraneum judicavi, veluti *pagina cit. Præfation. meæ* habet. Et *pag. ſeq. 12.* idem ſic repetij: *Audiviſti credo, tecum, tecum, inquam, ἀμύσῳ, diſputando congredi, indecorum eſſe & fruſtraneum.*

Neque ullâ reprehenſione dignum hoc eſſe, modò quæ contra *Müllerum* in *Præfat meæ* attuli, perpendantur, facilimè obſervabitur. *Müllerum* enim pro indocto, ſive artis diſputandi ignaro habui, *Umbrâ Zvelferi redivivi*, quam ſuo ſub nomine publicavit, permotus.

Quod ut clarius evadat, *Philonis* iniquo urgente calamo, binis exemplis denuo confirmo: 1. Poſtquam *Schmuzius pag. 2. Prodromi procœmialis* in apologiam Anno 1671. evulgatam, ſcripſiſſet, viciſſe ſe, præter rei magnitudinem & authoritatem, etiam Virorum doctiſſimorum & de Republica Philoſophico-Medica apprimè meritiſſimorum indefeſſum ſtimulandi animum, ut ſcilicet Zvelfero ſe opponeret; indè ſic dictus *Müllerus* in *Umbr. rediv. Zvelf.* colligit, ab Auguſtanis Medicis indefeſſum iſtum ſtimulum prodiiſſe; dum *pag. 6.* clientes *Schmuzij* Auguſtanos vocat; & *pag. 7.* Collegium Auguſtanum *Schmuzij* ſe concredidiſſe tutelæ, adſerit. Sed quàm longè hoc ab omni veritate abeat, *Præfat. meæ pag. 6.* &c. pluribus demonſtravi, ipſeque *D. D. Schmuzius* in *Antitheſi Naſcurtium* idcircò arguit mendacij. Videamus jam egregium ratiocinium: *Schmuzius* apologiam pro Pharmacopœja Auguſtana ſcribere tentavit, E. Auguſtani ſe ejus tutelæ concrediderunt.

2. *Clar. D. Otto Tackenius* in ſuo *Hippocr. chim.* Zvelferum oppugnavit. Anſam hinc Auguſtanos, *Schmuziumq;* invadendi arripit *Müllerus pag. 16. Umbr. Zvelf. rediviv.* dum eos adloquitur:

 Subor-

Subornastis præclaros Viros, & doctos; de quorum numero D. Takenius. Quod an veritati non contrarietur, *pag. 11 & 12. Præfat. Pharmac. August. Restit.* docent. Ipsum verò lepidum argumentum hoc est: *Tackenius Zvelferum* oppugnavit. E. Augustani *Tackenium* subornarunt.

Quis unquam similes concludendi modos adprobet? Annon homine erudito, atque ad disputandum alios provocante sunt indigni? An ergo adhuc dubitas, *Philo*, *Müllerum* tuum, quem in scenam protraxisti, hominem ἄμυσον, id est, indoctum, qui disputare nesciat, optimo jure audiisse? Fateberis utique, si non planè depudere didicisti, cum tali, qui excolendo huic studio artibusque liberalibus operam haud navavit, disputare, & quidem eo modo, quem tuus ille crepat, syllogismos utpote formando, indecorum esse, &, quod in *Postscripto* tuo omittere non debuisses, frustraneum.

Interim non nego, posse artem istam in Pharmacopœum cadere, atque cum tali in arenam disputatoriam, si è re videatur, alios descendere. Sed *Müllerum* caruisse illâ, & fama retulit, & prolata modò, nec non alia exempla comprobant.

Objicit autem *Nasturtius*, *Müllerum* esse Virum eruditum, latinitatis benè peritum, ab omnibus diu adprobatum, &c. mea verò scripta demum, examini subjecta quid valeant, edoctura, (modò *Philonis* ænigmate obscuriora verba sensum hunc habere debeant,) videturque in arte pharmaceutica, ac in specie chimicâ, majorem Müllero, quàm mihi, vel parem saltem tribuere peritiam. Quæ cuncta si aliqualiter concederem, nondum tamen *Philoni* palma cederet. Fuerit enim *Müllerus* Pharmacopœus, in conficiendis pharmacis probè, quod quidem me latet, eruditus, & qui latinam linguam benè, quod alij, qui frequentiùs ei adfuêre, non credunt, calluerit; propterea tamen non statim artis disputatoriæ eum fuisse unà peritum, sequitur.

quitur. Mihi quidem singularem pharmaceuticam scientiam non adscribo, talem tamen absque vana ostentatione tribuo, qua errores *Zvelferianos* detegere valui; quos dum *Müllerus*, patrocinium *Zvelfero* præstans, haud observavit, (modò sciens volensque eos non dissimulaverit,) de commendata illa peritia magnum animo meo scrupulum injecit, non prius eximendum, quàm si *Philo* noster omne id, quod erroris in *Zvelfero*, ex propriis utplurimum ipsius fundamentis, insimulavi, ritè sese habere, contra objectiones meas demonstraverit. Adeoque tantum abest, ut ab omnibus adprobatus dici mereatur. *Philoni* quidem utique adprobatum esse *Müllerum*, promtè credo; quo tamen vix assentatoris nomen effugit, qui, juxta *Gnathonis Terentiani, Eunuch. act. 2. scen. 2.* descriptionem, *illud genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt, consectatur, eis ultro arridet, & eorum ingenia admiratur; quicquid dicunt, laudat; rursum si negant, laudat id quoque; negat quis, & ipse negat; ait, & ipse ait; postremò sibimet imperavit, omnia assentari. Nam is quæstus nunc est multò uberrimus.* Siquidem

aurea nunc verè sunt secula, plurimus auro
venit honos, auro conciliatur amor.

Tandem *eâdem paginâ quartâ* dum *Müllerum* extra orbitam potentiæ, congruentiæ, minùs talenti fecisse nihil, instat, me non planè refragantem habet. Utique enim & ipse fateor, quòd *Müllerus* nihil extra orbitam potentiæ aut talenti fecerit, quia multoties jam nominatam *Umbram* haudquaquam elaboravit; sed nomen unicè suum, idque satis incongruè, præfigi curavit.

Quæ subjungit *paginâ quintâ: agitatus causa Pharmaceutica & Spagyrica, ventilantur Animadversiones &c.* omni sensu destituuntur; adeoque transeant, usque dum clariora aliquando revertantur.

 Cæte-

Cæterùm ut de *Müllero* quæ vera ſunt & laudabilia, eloquar, cùm id mereatur, admonet. Prius uti hactenus obſervavi: ita etiamſi *Naſturtius* tacuiſſet, ſponte in poſterum quoque non intermiſiſſem; quamvis veritas magnum mihi jam pepererit odium, ipſeque *Philo* noſter iniquiſſimum calamum contra me, dum veritatem pro virili amplector, acuerit. Poſterius ſi pari promtitudine liceret promittere, equidem foret gratiſſimum. Nemini enim debitam laudem unquam detrahere animus eſt, atque calidè deſidero, ut omnes nihil agere præſumant, quàm quod laudabile revera exiſtit, ac ita de cunctis pariter nihil, niſi quod ad eorum ſpectat gloriam, ſcribi dicivé poſſit. Aſt de *Müllero* laudabilia, ſimulque vera eloqui, mihi quidem hac in materia, quæ jam in diſceptationem venit, impoſſibile videtur. Si enim v. gr. *Müllerum* titulo libelli, *Umbra Zvelferi redivivi* inſcripti, nomen tantummodo ſuum mutuò dediſſe, ipſum verò libellum alterius eſſe ingenij fœtum, dicam, vera, & quibus nec *Philo* directè contradixit, profero, ſed non in laudem ejus vergentia. Primas itaque ſemper apud me tenebit veritas, cui ſi *Mülleri &c.* commendatio non repugnet, parem hæc quoque locum inveniet; aliàs priſtinum haud mutaturus ſum genium. Rectiùs interea facturum eſſe *Naſturtium*, ſtatuo, ſi quem fata jam vivorum conſortio exemtum voluerunt, *Müllerum* ſimili deprædicatione tantopere efferre, in poſterum omiſerit; cùm aliàs novam ſaltem contradicendi materiam exhibeat, ſicque Müllerianæ famæ peſſimè conſulat.

Paginâ ſextâ Animadverſiones in *Pharmacopæjam Auguſtanam Reſtitutam*, vel etiam Ejusdem commendationem, quorum neutrum tamen videre adhucdum licuit, promittit; deſiderioque noſcendi Schmuzianum Interpretem, quem ipſum eſſe *Schmuzium*, ex ſtylo ejus fit veriſimile, patefacto, frigidam admodum, & jam ſufficienter in *Præfatione mea* rejectam cantilenam.

nam instituit, objiciens, Collegium nostrum Amplissimum, si refutare *Zvelferum* voluisset, antequam is vivere desiit, illud prosequi debuisse, cùm provocare mortuum non adeo placere queat; quanquam victoria faciliùs sic impetretur. Sed quid integrum Collegium nostrum adducit, Cujus nec auxilium, nec consilium ad *Pharmacopœjæ Augustanæ* Restitutionem accessit; cùm solus laborem illum in me sponte susceperim? Quare *pag. 4. Præfat.* neminem sibi imaginari debere, Collegio nostro instigante, opus hoc me perfecisse, & ideo, si in aliquo aberraverim, mihi, non Illi imputandum esse, clarè satis edixi, jamque obliviosi aut dissimulantis *Philonis* in gratiam repeto. Num verò ullam in hoc culpam commiserim, aut scurrilem *Nasturtij* reprehensionem meritus fuerim, *pag. cit. 14. Præfat. meæ* judicet. Mortuum quidem jam tum fuisse *Zvelferum*, quis nesciit? Ast redivivum eundem promisit sic dictus *Müllerus*, Umbrâ illius jam tum comparente; ut itaque defensionem ipsi haud deesse, probè sciverim; imprimis cùm annuo stipendio, pro *Zvelfero* ejusque scriptis defendendis, *Philoni* nostro prospectum fuerit. Si tamen petulanti isto sarcasmo digni sunt, qui aliorum, jam mortuorum sententias & scripta examinare, provocati instituunt, eodem sanè, imò majori suum dilacerat *Zvelferum*, omnes quasi Medicos jam dudum defunctos, *Excell.* imprimis *Mindererum nostrum*, animadversionibus suis inhumaniter invadentem, & quidem à nemine Augustanorum provocatum, imò ne verbulo violatum. Me verò impudentissimus *Mülleri*, & Adseclarum strepitus, quo Collegium nostrum, Cui tum nomen meum dederam, ad defendendum Dispensatorium Patrium, ac confutandum *Zvelferum*, malesani provocarunt, atque incitarunt, arma literaria induere coëgit.

Omnem itaque frontem exuit *Nasturtius*, sub *Mülleri* enim umbra latitans, ad certamen subeundum Augustanos acriter provo-

provocavit: jam dum Illorum è numero eidem me committo, conviciis excipit. Quem quidem Cavillatoris impetum eo, quo decet, modo excipio, meras nugas in Autoris infamiam cedentes esse, æstimans.

Quanquam vivo adhuc *Zvelfero*, studia mea eò si perduxissem, ut *Pharmacopœjæ Augustanæ* Restitutionem moliri licuisset, Reformatorem neutiquam pertimuissem; imprimis cùm alieno ipsum calamo certâsse, præter documenta alia, *Höferus* publicè notaverit.

Postremâ pagellâ, ulteriori me debere cum Zvelferianis certamini committere, proclamat, dum detrectare me illud *nasutulus* Advocatus (si talis dici queat) ex verbis, *pag. 559. Pharmac. August. Rest.* positis, evincere tentat. Quæ tamen non illâ, qua virum bonum decuit, fide adducit, illud, quod maximè ad rem facit, præter vitiosam unius alteriusque verbi positionem, planè omittens. Sic enim me scribentem fingit: *Nemo tamen sibi persuadeat ne unicuique Pharmacopæjam hanc restitutam invasuro, debito mox responso esse obviam iturum, totam enim vitam, continuis litibus transigere nolo. Et si quæ novæ contra Dispensatorium nostrum cudenter objectiones, easdem oppugnare neutiquam tenebor.* Ipsa autem in *fine cit. pag.* expressa verba ita genuinè se habent: *Nemo tamen sibi persuadeat, me unicuique, Pharmacopœjam hanc restitutam invasuro, debito responso mox esse obviam iturum; totam enim vitam continuis litibus transigere, nolo.* *Unâ fideliâ duo pluresve parietes dealbari poterunt.* *Et si quæ novæ contra Dispensatorium nostrum cudentur objectiones, easdem necessariò oppugnare, neutiquam tenebor.* Jam ex utriusque collatione quilibet ipse cognoscet, quàm perfidè, malè narrando verba mea, *Philolarvatus* totum moniti mei sensum depravare laboraverit. An

pugnam

pugnam iſtam detrectavi? Annon potius, cuivis Zoilo & *Naſutulo* non eſſe me debitum reſponſum mox paraturum, indicavi, ſed tum demum, quando duo, pluresvé eorum, litem mihi intenderint? Ut autem novas contra Diſpenſatorium noſtrum cuſas (etenim tales fieri poſſe, nemo eſt, qui dubitet,) objectiones, nec à *Zvelfero* ortas, ſi quando tales prodirent, neceſſariò oppugnem, neutiquam obligatum me volo. Aſt quarum Animadverſionum Zvelferianarum Examen jam ſuſcepi, ubi illud rodere & evertere quis audebit, ſi à veritate deflectat, vindicem me, quamdiu ſpiritus hos reget artus, experietur. Quamvis, ut denuo inculcem, debito reſponſo mox obviam ire, neutiquam propterea obſtrictum me reddam, cumprimis ubi levibus tantùm iſtiusmodi, qualia *Naſcurtius* produxit, argumentis, me quis adgredietur.

Ultimi paragraphi initium novis onerat nugis, denuoque *Müllero* ſuccurrere ſatagens, me hortatur, ut placidè cum *Müllero*, quem inquietare non debuiſſem, agam, & ita civiliter me tractatum iri, promittit. Volenti, ut proverbium loquitur, non fit injuria. *Müllerus Umbrâ redivivi Zvelferi* tranquillum Auguſtanorum animum, longumque ſilentium inquietavit, & eos ad pugnam invitavit, ac ita quietem, qua gaudere aliàs tutò potuiſſet, ſibimetipſi interturbavit. Paratus nihilominus ſum, placidè in poſterum cum *Müllero* agere, modò ſeveriorem calamum importuna *Naſturtij*, alteriusvé facundia, eundem in mei opprobrium nimis commendando, non extorqueat. Salva autem res tum demum erit, ſi conſueto hactenus inurbano ſcribendi genere omiſſo, civili potius ſtylo Adverſarij me adorientur, aque conviciis ſibi temperabunt. Quod eò magis à ſeipſis ut impetrent, ſtudere tenentur, quò certiores ſunt, me non niſi coactum, ingratam quandoque animadverſionem protuliſſe; cùm aliàs ab illâ haud difficulter abſtineam. Hinc

C ipſe

ipſe quoque *Naſturtius pag* 5. & 7. mirem meam ſcribendi rationem, ad invidiam usque, commendare fuit permotus.

Quæ de ſalibus, alcalibus, ſpirituum actione & reactione protuli, ex *Tackenio* deſumta eſſe, cavillatur. Sed non ſufficit, ſimpliciter ita, & absque diligentiori conſideratione plagii aliquem accuſare; verùm etiam probandum eſt. Hoc quidem non diffiteor, & ipſa *Pharmacopœja Auguſtana Reſtituta* id eloquitur, multa ex eruditis *Clar. Tackenij* ſcriptis me deſumſiſſe, & contra *Zvelferum* adhibuiſſe; ſemper tamen, ubi opus fuit, loca ſignavi, ex quibus illa promanarunt, veluti *pag.* 277. de alcali urinæ volatilis cum aceto deſtillato unione, *pag.* 386. *&c.* de mercurij, in aqua forti ſoluti, emplaſtro de ranis additione, *pag.* 507. de ſpiritu viridis æris idem teſtantur. Tantumque abeſt, ut illa cuncta de ſalibus, alcalibus, atque ſpirituum actione & reactione *Tackenio* debeantur, ut non etiam aliqua aliis ex Autoribus, qui ante *D. Tackenium* ſcriptis ſuis in publicum prodierunt, emanaverint. Unicus exempli loco ſit *Helmontius*, cui ſuam debere doctrinam *Tackenium*, *Zvelferus* (modò non ipſe, *Philo*, perſonam iſtam finxeris,) in *Apolog. contra ipſum* audacter ſæpius objicit. Imò plurima circa materiam illam proferuntur, quæ partim in *Tackenio* non reperiuntur, partim etiam *Ejusdem* ſcriptis contraria nonnihil exiſtunt. Neque enim adeo me alterius opinioni mancipare unquam volui, ut non diſſentire interdum, audeam; neque *Cl. Tackenius* ægrè illud pertulit; cùm modeſtè divortium ab aliis facere, vitio nemini debere verti, probè intelligat, juxta illud:

Diverſum ſentire duos de rebus iisdem,
incolumi licuit ſemper amicitiâ.

Sed qua in parte aliam ego ſententiam foveam, *Philonis* in gratiam exponere, haud eſt neceſſe, facileque ex utriusque ſcriptorum collatione perſpicere quilibet ipſe poterit. Sufficiat,

ciat, illa, quæ pro *Dispensatorij Augustani* defensione, librorum variorum non segni evolutione, fideli Præceptorum informatione, & pyrotechniâ edoctus, attuli, negotio huic sic me adaptasse, ut satis cum Adseclis, tu *Philo*, habeas, quæ solvas, si *Zvelferum* tuum salvum desideres. Tuus autem *Müllerus*, cujus ingratiam de me vindictam hîc sumere voluisse videris, utique fuit meritus, ut *pag. 5. Præfat. meæ* palam de eo scriberem, *Umbram redivivi Zvelferi* alium, non ipsum, agnoscere autorem, & scriptum tuum si tu repetas, nihil nisi inane nomen, instar ridiculæ illius Æsopicæ corniculæ deplumatæ, *Müllero* remanere. Ignosce, quòd denuo hoc repetam; siquidem non fieret, nisi toties ansam reiterandi suppeditares.

Cæterùm in *fine Postscripti tui* egregij quòd me amare, verbis contesteris, reciprocum amorem spondeo, inque ejusdem signum, cùm crassos humores pectus tuum obsidere, ac philtrum aureum *Zvelferi* Te quodammodo dementare, atque animum ad meliora excolenda torpidum reddere, observem, verus *Nasturtij Amicus* ut fias, animitus voveo, ideoque mediante præsenti Apologiâ, salutare hoc & specificum *Nasturtij* remedium adplicare tibi volui; quod acrimoniâ suâ licet aliàs molestum esse queat, siquidem à *narium tormento* nomen obtinuisse, *Plinius lib. 19. hist. nat. cap. 8.* perhibet, *nares* tamen tuas *magnopere torquere non* posse, firmiter mihi persuasum habeo. Vale.



M. Acc. Plautus Mostell. act. 3. sc. 2.

Ut homines ſunt, ita morem geras.

Quæ
in
Antithesi sua
ad
PHILONEM NASTURTIUM
Anno M. DC. LXXIV.
DN. MICH: RAPHAEL SCHMUZIUS,
à Poyssdorff &c.
Philosophiæ & Medicinæ Doctor,
contra me
diversis in locis protulit,

LEGI.

L. Ann. Seneca libr. 3. de ira cap. 36.

Noli congredi cum imperitis. Nolunt diſcere, quæ nunquam didicerunt.

ENUCLEATIO
DUBIORUM
Dn. D. Friderici Hoffmanni.

SErió nunc agere, eruditus, & ad modestiam compositus *D. D. Friderici Hoffmanni, Medici Ducalis Saxonici*, calamus requirit, quo nonnullas contra *Zvelferum* à me prolatas animadversiones, in *suis ad Schröderum notis* impugnare, atque *Zvelferum* vindicare instituit, requirit. Cujus tamen sententiæ, laudabili sanè proposito, tantopere addictus haud est, ut non sæpius ab ejusdem placitis recedere, imò argumenta, à me in *Pharmacopœja Augustana Restituta* producta, sua facere, ac *Zvelfero* opponere voluerit.

Cæterùm plura in notis istis deprehendo, quæ *Examini meo Zvelferiano* contrariantur; cùm verò solo argumentorum, ab ipso *Zvelfero* promanantium, robore nitantur, oppugnare illa, non est animus; ne actum agere velle videar; siquidem in *præfato isto Opere meo*, abunde iis jam satisfeci; ut adeo unicè illa, quæ novo ariete *Pharmacopœjam meam* petere videntur, amicè perpendere atque examinare constituerim.

CAPUT I,
de Balsamis odoriferis.

PRimò se offerunt Balsama odorifera, de quibus *pag. 56 57. Dn. D. Frid Hoffmannus* agit, nec *Zvelferi* ineptam esse censuram, adserit, dum is *pag. 445. animadverſ. in Pharmac Augustan.*

gustan. ceram & ſevum agninum inutiliter planè & perversè pro corpore Balſamorum adaptari, judicat, eò quòd, cum cera quæ parantur, tractu temporis exiguo tenaciſſima fiant, quæ autem ſevum agninum recipiunt, brevi ranceſcant. Cui animadverſioni *pag. 497. 498. Pharmacop. August. Reſtit.* me, nuciſtæ licet expreſſum oleum minimè eapropter pro hoc uſu excludendo, oppoſui, haud negari poſſe, inquiens, Balſama hæc tamdiu ſalva non perſiſtere, ac illa, nucis moſchatæ oleum expreſſum recipientia. Sed propterea ceram, & ſevum agninum planè, tanquam inutilia, & perversè adaptanda, rejicere, ineptam eſſe cenſuram, defendere adhucdum ſuſtineo. Hinc Balſama, quæ non ita diu adſervantur, ſed pro uſu mox adaptantur, tolerare eadem optimè poſſe, ſcripſi. Neque enim cuncta ſunt officinalia, ſive quæ tempore quolibet in officinis jam parata habentur, ſed etiam extemporanea dari, uti cephalica, ſtomachica &c. quæ in rem præſentem, pro ægroti & morbi conditione, huic vel illi individuo mox adplicanda, à Medico præſcribuntur, eſt notiſſimum. Et in his utique ceram & ſevum pro oleorum incorporatione adhiberi poſſe, nemo præfractè negabit; cùm enim mox in uſum trahantur, neque rancori, neque tenacitati, cum tempore demum paulatim emergentibus, ſunt obnoxia.

Quamvis nec priora illa ſevum & ceram, pro conciliandà oleis deſiderata conſiſtentia, planè excludant. Ipſe enim Pharmacopœus, rerum ſuarum ſatagens, odorata iſta Unguenta in ea tantùm parat copia, quam certo tempore ſe poſſe conſumere vel diſpenſare autumat, antequam ea labem contrahant. Id quod uti in aliis pluribus medicamentorum generibus: ita etiam in hiſce Balſamis locum invenit; ceu exempli loco *Aceta medicata* eſſe poſſunt, quibus de *Dn. D. Frider. Hoffmannus pag. 44.* mecum ex *Pharmac. August. Reſtit. pag. 312.* conſentit, poſſe illa,

Illa, pro diſpenſationis uſu quotidiano, confici cum aceto ſimplici, ſi, aliis non neglectis cautelis, nimia in copia non præparentur.

Quanquam cum cera alba, utpote quæ hîc indigitatur, Balſama elaborata, ſatis diu (benè clauſo in vaſculo, ne olea, quibuscum cera in juſta quantitate fuit ſubacta, exhalare tam promtè queant, quibus ſcilicet in auras abeuntibus, ceræ tenacitas ſubſequitur, ipſa etiam deſtillata olea, avarâ manu non adhibita, ſi genuina exiſtant,) conſiſtentiam debitam retineant, nec tenacitate exosâ inficiantur.

Non minùs olea balſamica legitimè deſtillata condimentum quaſi ſunt ſevi agnini, quo rancoris & corruptionis adceleratio impeditur, cumprimis ſi pariter in ritè obſerrata pyxidula adſerventur, ſevumque ipſum recens & ab adjuncta humiditate prius liberatum fuerit. Quod uti per ſe etiam diu ſatis incorruptum perſiſtit: ita multò magis balſamicis oleis maritatum, rancorem tam promtè haud experitur, imò in thecula argentea & deaurata ſic conditum ſevum per longum temporis ſpatium in marſupio incorruptum geſtari, experimentum ideo inſtitutum fidem mihi fecit.

Cum cera alba quoque & oleo ſuccini confectum Balſamum, prout tale quovis tempore Auguſtæ ſolet proſtare, per plures menſes conſiſtentiâ debitâ ſe commendat, ita ut in illinitione nullam tenacitatem aut conglomerationem oſtendat, ſed inſtar butyri potius, manui inunctum, reſolvatur.

Quam verò *Dn. Hoffmannus*, præter ſevum agninum, adducit vituli medullam, eam defendere in me non ſuſcipio, cùm neque in *Pharm. Auguſt. Reſtit.* mentionem ejus fecerim, neque citiùs multò præ ſevo eam corrumpi, negare velim.

Quin cum Balſama hæc reipſa nihil aliud ſint, quàm Unguenta, hæc autem potiori ex parte butyrum, vel ſimile quid

unctuosum, rancorem concipere aptum, habeant admistum, omnia ista hac ratione ex Officinis & usu medico eliminanda, aut saltem butyrum &c. inutiliter & perversè, ut censuræ Zvelrianæ verbis utar, ipsis misceri, animadvertendum esset; quod tamen à *D. Hoffmanno* haud fieri, ex *pag.* ejus *122.* colligitur, ubi adductorum à *Schrödero* Unguentorum nullum, excepto *Crollij sympathetico*, censuram vel animadversionem mereri, expressis verbis fatetur; cùm tamen *Unguentum cardiacum F. F.* (ut alia præteream) ex integris libris octo butyri recentis, cui M. xviij. diversarum plantarum incoquuntur, consistat, & ita præ Balsamis nostris odoriferis multò faciliùs, tum quia butyrum ipsum facilimè rancescit, tum aliquæ saltem herbarum terrestres particulæ, minimè autem olea destillata corruptionem inhibentia, butyro imprimuntur, corruptionem subire debeat.

Utrum autem destillatis oleis arctior cum nucis moschatæ expresso oleo, quàm cum cera, intercedat unio, jam non disquiram; illud tamen symbolicum adeo ipsis haud esse, scio, ut non olea destillata, aëri liberiori aditu concesso, à nucis moschatæ corpore avolent, symboloque valedicant.

Præter discussam hanc censuram, ratione coloris Balsamorum aliam *D. D. Frid. Hoffmannus* subnectit, cujus scilicet impetrandi causâ ipsa herbarum aut florum magisteria, juxta normam à *Zvelfero* traditam, addi posse, statuit. Ego verò *Zvelferum* ex *Zvelfero* reformaturus, & ita fundamento saltem Zvelferiano innixus, pro tinctura ista inducenda non commodè adhiberi illa, quòd statuere liceret, monui; siquidem *Zvelferus* non tam ad pulchritudinem, quàm ad virtutes & efficaciam salubriorum medicamentorum prospiciendum esse, judicavit; Magisteria autem illa esse corpora emortua, & dum humida sunt adhibenda, oleorum, ipsis & corpori commiscendorum, quantitatem, à quibus tamen præcipua energia Balsamorum

depen-

dependet, imminuere, *Pharmac. Aug. Restit. pag. 493. &c.* regessi. Quamvis aliàs & ipse similia magisteria, aliásve aliquas res, elegantem & expetitum colorem suppeditantes, à Balsamorum compositione neutiquam rejiciam; ac ipse probè sciverim, non tam pro Balsamorum virtute augenda, quàm ut oculis blandiantur, à *Zvelfero* magisteria ista fuisse addita. Aliud itaque est disquirere: an talia magisteria pro oculorum oblectamento vel virium incremento addantur? Aliud: an benè vel malè eadem permisceantur?

CAPUT II,

de Emplastro magnetico Angeli Salæ.

PAg. 72. de Emplastro magnetico Angeli Salæ *Dn. Hoffmannus* agit, Lectoremque ad *Zvelferi animadverf. pag 377.* & *Pharmac. Augustan. Restit. pag. 373.* amandat, mox addens: *Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum.* Quod epiphonema cui debetur, cùm nonnihil obscurum videri alicui posset, quia tamen in *præfato Examine* meo *Zvelferi* antilogiam, sive quòd culpa, qua onerat *Augustanos*, ipsum quoque redarguat, demonstrare occasio tulerit, quò minùs, scriptum id ipsi fuisse, credam, nihil sanè obstare videtur. Quod idcirco ut monerem, necessarium æstimavi.

CAPUT III,

de Extracto panchymagogo.

EXtractum panchymagogum Crollij novam disceptandi materiam *pag. 85. & 86.* suggerit. In quo justam vocat *Zvelferi* censuram de speciebus diambræ & diarrhodon Abbatis (licet, ut obiter hoc addam, ista *Zvelferi* laudata censura

fura non directè Crollianum, sed Augustanum Extractum panchymagogum respiciat; quæ pluribus à se invicem passibus distare, imprimis verò in Augustanorum Extractum nominatas istas species diarrhodon non recipi, fido oculorum testimonio constat; unde ipse etiam *D. Schröderus pag. 222.* Augustanorum Extractum aliud, quàm Crollianum, esse, non obscurè adserit) cum spiritu vini extrahendis; quia negari nequeat: 1. in spiritus vini abstractione magnam fragrantiæ & essentiæ aromaticæ portionem simul abstrahi; 2. spiritum vini speciebus diambræ saturatè imbutum, licet aliquid extrahat, tamen adeo aptum ad ulteriorem & pleniorem additarum specierum extractionem non evadere, ut αὐτοψία edocet. Verùm non omnino justam Zvelferi esse animadversionem, Examen ejus in *Pharmac. August. Restit.* indicat. Videturque ipse *Dn. D. Hoffmannus* à *Zvelferi* sententia deflectere, adeoque non adeo justam illam esse, tacitè innuere; dum non omnem fragrantiam & essentiam aromaticam, sed *magnam* tantùm portionem cum vini spiritu abstrahi, mecum perhibet. Quam tamen non esse Zvelferi mentem, *animadversiones* ejus in Extractum diacarthami *pag. 132.* & Extractum holagogum *pag. 136.* ad quæ nimirum in reformando Augustani Dispensatorij Extracto panchymagogo Lectorem amandat, clarè satis edocent. Ibi enim fragrantiam & essentiam aromaticam *omnino* exhalare, hîc subtiliores & penetrantissimas partes avolare, legitur.

2. Vini spiritum à speciebus diambræ *saturatè* imbui, negatur; si namque dosis amborum inspiciatur, libras quinque spiritus vini, unciæ unicæ & dimidiæ specierum destinari, observatur. Jam quis tam exiguam specierum quantitatem à liberaliter infuso vini spiritu, cujus respectu quadragesima saltem pars existunt, tam saturatè imbui, defendere ausit, ut, secundùm *Zvelferi* judicium, justum *D. Hoffmanno* dictum, ad ulteriorem

riorem extractionem ineptus & inhabilis evadat? Quod insuper si Crolliano Extracto adcommodetur, multò magis injusta animadversio *Zvelferi* vocanda esset, cùm in ejus descriptione spiritus vini quantitas planè non ponatur, sed potius tantum, quantum opus est, sumendum esse, indigitetur.

Si verò tanta liquoris copia à tam exigua specierum quantitate *saturatè* imbuitur, proh! quanta ejusdem in Extractorum nonnullorum officinalium præparationem profusio fieri debet? Unicum *Zvelferi* Extractum hydragogum, quo de etiam *pag. 127. Pharmacop. meæ* egi, centum & viginti libras, id est, quadraginta quinque mensuras nostrates spiritus vini requireret.

Faciliùs aliàs concedo, vini spiritum, virtute specierum diambræ sic imbutum, non ampliùs adeo aptum ad ulteriorem extractionem esse, quàm si purus idem, nec priùs pulveri præfato superinfusus, adhibitus fuisset; ast saturatè imbutum eum esse, nimis liberaliter adstruitur; cùm hac ratione ulteriori extractioni planè esset inhabilis; quod autopsiæ repugnat.

Tandem turbethum gummosum, agaricum, & scammonium præbere resinam, notat *Zvelferus*, quæ nisi exactè à reliquo extracto prius separetur, & vel pulverisata, vel recenti spiritu vini soluta, perfectè inspissato extracto addatur, minùs efficax præbeat medicamentum, duplex incommodum involvens, nimirùm quòd in liquoribus totaliter solvi non possit, & nil ferè operetur. Cujus animadversionis vanitatem *pag. 121. Pharmac. August. Restit.* prolixè demonstravi. Se tamen in nonnullis opponentem mihi hîc video *Dn. Fridericum Hoffmannum*, videlicet dum resinam in hac præparatione quidem emergere, eam tamen prius pulverisatam, vel in vini spiritu solutam extracto addi debere, non sequi, judicavi, cùm talis resina, absque præcedente ejus separatione, unà cum reliquo extracto non

 resinoso,

resinoso, ad spissitudinem, sive debitam consistentiam evaporato, probè, mediante pistillo, contusa & subacta, optimè ei misceatur, ac talismodi Extractum eundem det effectum, quem præstaret, si vel pulverisata, vel vini spiritu soluta, fuisset addita. Hisce itaque obviam procedit *Dn. Hoffmannus*, & particulas resinosas per contusionem & subactionem cum pistillo ad tempus quidem segregari, brevi tamen temporis spatio ad genium suum redeuntes, sui juris fieri, seque ab extracto reliquo segregare ac separare, utpote aqueæ naturæ, objicit, atque idcirco recto adhuc stare talo *Zvelferi* traditam animadversionem, similes utpote resinas cum amygdalis dulcibus pro partium resinosarum disgregatione priùs esse subigendas, concludit. Verùm monitum illud de resinarum cum amygdalis subactione recto stare talo, nullibi, quantum quidem recordor, necà me quoque (nisi quod *pag. 117.* sed *Zvelferi* tantùm ex fundamentis, licet propterea non concessis, habetur, adeoque propriè huc non spectat,) fuit negatum; hinc *cit. pag. 121.* similes resinas cum amygdalis dulcibus, semine melonum, vel alio aliquo corpore oleoso, ut nucleis pineis &c. pro disgregatione particularum resinosarum, subigere, me non prohibere, monui.

Totum autem objectionis Hoffmannianæ robur in eo consistere videtur, quòd Extracta, & in specie istud panchymagogum, de quo utpote jam agitur, liquidiori consistentiâ gaudere, fortè autumet. Non equidem me diversitas Extractorum, ratione consistentiæ latet, dum eorum aliqua existunt fluida, quæ tamen Essentiæ potiùs nomine veniunt, prout *Celeber. Dn. D. Job Theodor. Schenckius part. special. syntagmat. componendi & præscribendi medicamenta, class. 3. sect. 6. cap. 1.* idem perhibet. Illa verò quæ siccioris sunt substantiæ, κατ' ἐξοχὴν Extracta adpellari consueverunt. De fluidis istis *Augustani* in *Classe septima Dispensatorij sui* neutiquam tractant, sed de alterius ordinis Extractis;

tractis; quæ quidem iterum non uno modo se habent, dum vel magis vel minùs condensata reperiuntur. Quo autem substantiæ modo *Augustanorum* Extracta gaudeant, ut hîc præmoneam, necesse est; omnia videlicet, exceptis paucissimis, sicca quasi & solida, quibus etiam adnumero Extractum nostrum panchymagogum, existunt; reliqua licet humidiora nonnihil compareant, propriè tamen fluida dici nequeunt, sed cum v. g. conservarum sicciorum consistentia similitudinem habent. Jam utrum in illis resinæ, reliquo non resinoso extracto per diligentem cum pistillo contusionem & subactionem studiosè unitæ, tam facilè brevi temporis spatio, imò unquam, si vel per plures annos in Pharmacopolio Extractum remaneret, præcipitari queant, omnibus rem benè pensitantibus judicandum relinquo. Mihi sanè adhucdum illud non videtur. Nec in reliquis mollioribus Extractis accidere istud posse, si quis experimentum ritè facere velit, facilè observabit.

Ast posito, sed neutiquam concesso, evenire hoc in Extractis taliter paratis, idem certè Zvelferianis, si cum vini spiritu solutæ, vel saltem pulverisatæ resinæ iis fuerint immixtæ, facilè accideret. Pulverisatæ etenim, cumprimis si aër tepidior Extracta circumstet, sicque resinosas particulas liquet & in fluorem redigat, non minùs fundum essent petituræ; quod periculum nec illæ, spiritu vini solutæ, cum tempore effugerent, avolante scilicet paulatim vinculo illo, quo tenebantur, nempe vini spiritu.

Quòd autem Extractum, absque illa à *Zvelfero* indigitata ἐγχειρήσει confectum, totaliter in liquoribus solvi non possit, ut *Zvelfero* simpliciter credam, nemo mihi persuadebit. De aquosis equidem liquoribus verè hoc dici, certum est, sed de omnibus idem adfirmare, spiritus ardentes, vini, anisi &c. repugnant. Quamvis, ut & hoc ex *Pharmacopœja Augustana Restituta*

stituta repetam, eidem animadversioni Extracta quoque, pulverisatam resinam recipientia, sint exposita; accedente enim aqueo liquore, cumprimis si tepidus, calidusvé is existat, resinas in fundo præcipitatas invenire licet; id quod pariter cum spiritu vini solutis resinis accidere, gialappæ sic dictum magisterium oppidò evincit.

CAPUT IV,

de Feculis.

PAgin. 86. & 87. Feculæ producuntur, quas *Zvelferus* eliminat, quia succo suo nativo totaliter sint orbata. Quod à me *pag. 501. Pharmac. August. Rest.* fuit negatum, cùm illa *Zvelferi* adsertio sensibus repugnet; non enim esse eas succo *totaliter*, uti *pag. 64. append. animadvers.* scribit, orbatas, & hinc nec *omnis virtutis & efficaciæ expertes*, quod *pag. 446. animadvers.* objicit, superstes post subsidentiam factam humiditas, cujus igitur intuitu exsiccatio instituenda præcipitur, fidem facit, ipsaque ari Fecula debitè præparata acrem nonnihil saporem retinet. Verùm licet aliqua salis acris pars gustu perceptibilis remaneat, omnem tamen non esse superstitem, *Dn. Frider. Hoffmannus* excipit. Quo ipso nihil, quod contra meam sententiam pugnet, adfertur; unde *pag. cit.* Feculas nativo suo succo ex parte orbatas esse, in dubium me haud vocare posse, ingenuè edixi. Ast ob partes aliquas acres ablatas, Feculam ari mox planè rejicere, sanè haud decet; cùm & ipse radicum ari à *Zvelfero* commendatus pulvis omnes illas minimè retineat; quare *pag. 404. animadvers.* radicum istarum acrimoniam in ipsa exsiccatione adimi, fatetur, & *Dn. Frider. Hoffmannus pag. 415.* aquam ex ari radice alexipharmacam contra pestem destillari, perhibet; quas itaque virtuosas particulas in exsiccatione, pro pulvere

confi-

conficiendo, detrimentum quoque pati & exhalare, eſt credibile.

Imò ſi *Dn. D. Hoffmanni Methodus medendi* evolvatur, varia inter medicamenta, quæ maximo cum ſucceſſu ad craſſos & glutinoſos humores tartareos attenuandos, meatus obſtructos reſerandos, & humorum ebullitionem ſedandam exhibentur, ari quoque Fecula, nec non *Pulvis cachecticus Quercetani*, qui eandem cum aliis ingredientibus continet, *pag. 69.* deprehendetur.

Bryoniæ inſuper radix, dum in Feculam abit, ſucci acris portionem ſimiliter deperdit, & tamen à *Dn. Hoffmanno* ob egregias virtutes, *pag. 285. & 286. not. Schröd* laudatur; prout etiam pœoniæ Fecula *pag. 286. & 293.* commendatur.

Aſt ſubjungit *Hoffmannus: quid fiet de cæteris, quæ tantâ ſucci medicamentoſi copiâ non abundant?* Reſpondeo: benè cum ipſis agetur. Quò minus enim radices aliquæ de illo participant, eò minus quoque periculum amiſſionis ejusdem, in Fecularum expreſſione &c. ipſis imminet.

Ad confutandum autem *Zvelferum*, adduxi tritici Feculam, quod amylum vulgò vocatur, quam tamen effœtum & omnis virtutis expertem non eſſe pulverem, imò ab ipſo *Zvelfero* medicamentis immiſceri, monui; neque ſcripſiſſe illa, hactenus me pœnituit. Pro ſalvando quidem *Zvelfero*, amylum nihil probare, *Dn. Hoffmannus* infert; ἄπιον enim eſſe; unde nihil certi de hoc pronunciari de ejus virtute poſſit. Veruntamen aliud verba *Zvelferi* innuunt, quibus inutile & effœtum medicamenti genus in genere Feculas adpellat; cùm igitur amylum pariter adnumerari Feculis debeat, ſuccusque ejus nativus diutinâ in aqua maceratione reſolutus, tandem, ſubſidente pulvere farinaceo, effundatur, quin eodem epitheto à *Zvelfero* inſcio fuerit condecoratum, partemque non exiguam ſucci nativi, & conſequenter virium, amittat, nullum dubium

 ſuper-

supereſt. Sed cùm nihilominus à *Zvelfero* pluribus medicamentis amylum inſeratur, Feculas non ita ſimpliciter inutile & effœtum medicamenti genus fuiſſe adpellandas, hujus quoque intuitu concludere mihi placuit. Quare nondum video, quòd adductum amyli exemplum nihil probet. Non enim iſto omnes ſalvare propriè & ſimpliciter volui Feculas, ſed tantùm contra *Zvelferum* evincere, non omnes cenſuram iſtam mereri.

CAPUT V,

de Extracto marocoſtino.

PAg. 101. & 102. Dn. Friderici Hoffmanni cura in vindicandis à meo *pag. 103. &c. Pharmac. Auguſt. Reſtit.* examine, animadverſionibus, Pilulis ſive Extracto marocoſtino *Excell. Mindereri* à *Zvelfero* ſcriptis, verſatur. Verùm quidquid contra illud excipiat, non omninò inconcuſſam relinqui *Zvelferi* cenſuram, jam jam demonſtrabo.

I. Aquas deſtillatas, compoſitioni huic adſignatas, necquicquam, qua corrigendo, qua extrahendo præſtare poſſe ampliùs, quàm aquam aliquam ſimplicem aut pluvialem, & ſpirituoſi ſi quid habent, in Extracti inſpiſſatione penitus evaporare, *Zvelferus animadverſ. pag. 137.* objicit. Cui *pag. 131. Pharmac. Auguſt. Reſt.* contradixi, negando, omne ſpirituoſum in illis contentum evaporare, cùm pars aliqua Extracto conjuncta remaneat. Hoc tamen ſenſibus repugnare, *Dn. Hoffmannus* objicit, ut ipſe fateri cogar, magni momenti haud eſſe. Verum eſt, quòd ſcripſerim, magni momenti haud eſſe exiguum illud, quod ab aquis deſtillatis Extracto conjunctum remanet, & ſi de totali Extracti exſiccatione, quæ non ſimplici evaporatione fieri debet, ſed in B. abſtractione, quò ita liquor iſte pro nova præparatione ſervari queat, ſermo ſit, nihil cum eo remanere, jam pariter concedo. Mini-

Minimè tamen inconcussum, quidquid *Zvelferus* in hac materia protulit, ideo permanet, nisi & ipsi eadem culpa, *Minderero* hîc imposita, imputetur. Quantum enim cichorij vel endiviæ aqua in rhabarbari & foliorum senæ Extractis *Pharmacop. Reg. pag. 79.* qua corrigendo, qua extrahendo, præstant amplius, quàm aqua aliqua simplex, aut pluvialis? imò eædem in Extractorum inspissatione, si non penitus evaporent, parum tamen cum iis relinquant, est necesse.

II. Dum aquas istas destillatas ad rerum resinosarum extractiones simpliciter inhabiles esse, nego, quia hæ, præter resinam, alias etiam, aqueas, non inutiles, & cum aquis se extrahi permittentes partes continent, denuo à *D. Hoffmanno* impugnor, qui 1. res resinosas, quatenus resinosas, in se nullas habere aqueas partes, sed juxta se habere posse, scribit; 2. quænam partes maximè ad hoc Extractum necessariæ adpetantur, quærit, ac resinosas, exceptis illis, quæ ex aloë, rhabarbaro &c. extrahuntur, non verò aqueas, hîc maximè expeti, respondet, subjungens: *Gummi ammoniacum, Myrrha, agaricus, lignum aloës &c. in totum resinosa sunt, quid igitur aquei ex illis aquæ destillatæ extrahent virtute insigni præditi, per simplicem infusionem in loco calente?* Verùm quod Prius attinet, licet in istiusmodi subtilitatibus exercitatus haud sim, non possum tamen non quærere: utrum *pag. 131. 132. 133. Pharmac. Augustan. Restit.* ubi nimirum de rebus resinosis Extracti hujus agitur, ullibi scripserim, *res resinosas, ut resinosas in se* habere aqueas partes? Mihi quidem nihil de eo constat. Hoc scio, quòd, res illas resinosas continere vel habere, præter resinam, aqueas etiam partes, simpliciter scripserim. Ubi quidem, meo judicio, non inconcinnè dicitur: agaricum, lignum aloës &c. in se habent & resinosas & aqueas particulas. Ast si statuatur, resinosas agarici, ligni aloës &c. partes, ut resinosas, ut puras, in se habere aqueas sive non resino-

 sas

ſas particulas, tunc fortè majori jure cenſura illa Hoffmanniana locum inveniret. Ut adeo, ſi tam adcuratè loquendum ſit, reſinas inter & res reſinoſas magna differentia intercedat.

Alterum quod ſpectat, ſi reſinoſas partes, quas inutiles nec ipſe unquam pronunciavi, maximè hîc experi, concederem, an *Zvelfero* patrocinium ſic paretur, Prudentiores judicent? Mihi id non videtur. *Zvelferus* enim aquas deſtillatas ſimplices ad rerum reſinoſarum extractionem inhabiles ſimpliciter pronunciat; quod concedi non poſſe, repeto; ſi res illæ reſinoſæ, præter reſinam, alias etiam, aqueas partes, prout revera tales habent, contineant, quas nimirum aquæ deſtillatæ in ſe recipiunt & extrahunt. Aliud itaque eſt, aquas deſtillatas, ut inhabiles, planè excludere; aliud, ſpiritum vini &c. ceu magis habilem & idoneum, illis præferre. In hoc ipſe *Zvelferi* ſententiæ totus ferè accedo; illud autem an mereatur adplauſum, jam diſpiciamus. Gummi itaque ammoniacum, myrrha, agaricum & lignum aloës ſi cum aqua in calore digerantur, &c. partes aliquas in illam deponunt; quæ &, dum aquam alio colore tinctam oculis exhibent, ſe manifeſtant, & ſi eadem exhalet, in fundo ſuperſtites occurrunt.

Ex quo ſimul colligitur, præfata ſimplicia neutiquam *in totum reſinoſa* eſſe; quod neque *Zvelferus* de omnibus iſtis adſerere voluit; unde *pag. 126. animadverſ.* agaricum *nonnihil reſinoſum*, non verò *in totum reſinoſum* eſſe, ſcribit; & lignum aloës cum aquis *Pharmac. Reg. pag. 9.* extrahere docet. Ut taceam, quòd res etiam reſinoſas, aquæ ope, veluti agaricum, mechoacannam albam, turbethum, extrahat; quo de *pag. 131. & 132. Pharmacop. Auguſt. Reſt.* diſſerui.

Sed & hîc *Zvelferus Hoffmannum* experitur defenſorem, dum allegata cathartica non infundi, ſed coqui in aqua ſimplici, ſcribit, quousq; omnes virtutes extractæ ſint; *quis jam*, addens,

eſt,

eft, qui ignoret differentiam inter infusionem & coctionem? Sed neque hic scopus propositus obtinetur. *Zvelferus* enim in animadversionibus his aquas destillatas simplices, qualescunque etiam illæ fuerint, ad extractiones rerum resinosarum inhabiles proclamat. Jam quis ignorat, coctiones illas Zvelferianas nihil aliud esse, quàm extractiones; unde etiam extrahere, communiter idem est, ac rei alicujus partem, quæ desideratur, menstrui beneficio elicere?

Instabunt fortè contrariæ parti addicti, atque illa *Zvelferi* verba de extractionibus solùm, mediante infusione factis, exponi debere, mihi regerent. De quo equidem dubitari meritò posset, cùm nimis generaliter *Zvelferus* ista protulerit. Quamvis neque hac ratione salvare eum liceat. Evolvantur quæso paginæ, à me ex *Pharmacopœja Regia* citatæ, & videbimus, nihil de resinosa agarici, mechoacannæ albæ, & turbethi substantia, quantumvis diu multumque coquantur, medicamentis istis accedere. Sic *pag. 36.* in *Sirupo magistrali primo, pag. 40.* in *Sirupo de tribus solutivo*, & *pag. 42.* in *Infuso purgante* agaricum, aliis ingredientibus junctum, cum aqua fervente, per noctem, biduum, vel triduum maceratur, colatur dein & exprimitur. Jam si agaricum, uti *Dn. D Hoffmannus* vult, in totum resinosum est, ideoque simplici infusione vel maceratione cum aqua minimè extrahi potest, annon minùs circumspectum se hic gessisse *Zvelferum*, jure objicitur? Sed urgebit fortè aliquis, remanentes à tali infusione species, & sic etiam agaricum, adfusâ suff. quant. aquæ simplicis, eousque postea coqui, donec tota virtus extracta sit, sicque resinosas agarici particulas in aquam tandem deponi. Ast aliam *Zvelferus* sic incurrit animadversionem, quia, posito quòd nihil de agarico in præcedente infusione aquæ accesserit, frustra eum macerationi, sive priori extractioni adaptatum, & potius cum reliquis speciebus, soli decoctioni

 adhi-

adhibitis, radicibus utpote cichorij, ſemini naſturtij, urticæ &c. in *Sirupo magiſtrali primo* jungendum fuiſſe, ſequitur.

Sed audiamus ipſum *Zvelferum* de reſinarum coctione, & quæ per hanc intenditur, earundem ſolutione, *pag. 254. Pharmac. Reg.* ſic diſſerentem: *in Aquis nunquam ſolvuntur: quantumvis diu multumque coquantur, reſident nihilominus intacta, peractâ coctura.* Quamvis monitum hoc negligens *pag. 36. Pharmacop. Reg.* maſtichen, gummatibus iſtis reſinoſis *loco antea citato* claris verbis adnumeratam, cum aqua ſimplici in *Sirupo magiſtrali ſecundo* decoquat.

Verùm & hæc tranſeant, ac reſinoſas dictorum catharticorum particulas omnes ab aqua in productis medicamentis fuiſſe extractas, (extrahi autem, vel à reliquo corpore ſegregari reſinam aliquam, haud nego, quæ tamen cum aqua neutiquam intimiùs cohæret, ſed vel colatæ illi innatat, adeoq́ue in ſubſequente clarificatione ſeparatur, vel panno, &c. per quod colatura inſtituitur, atque in colo remanentibus ſpeciebus adhæret, unde aquæ non communicatur, ſicq́ue neutiquam hîc quid evincit,) ponatur, nondum tamen animadverſionem, *Zvelferus* effugit; ſiquidem medicamenta iſta omnia, usque dum præparatio eorum abſolvitur, reſinâ denuo orbantur; utpote quæ, dum illorum aliqua leniter, in diplomate, ad ſpiſſitudinem mellis, extracti liquidioris, exhalare &c. debent, non ſecus atq; ipſi accidit, ſi cum vini ſpiritu, dein abſtrahendo, fuerit extracta, fundum peteret, atque ita duplex in medicamentis iſtis incommodum, ut *Zvelferi* animadverſionem adplicem, involveret, nimirum quòd nil ferè operentur, partim etiam in liquoribus aqueis totaliter ſolvi nequeant; ſiquidem reſinas iſtas à reliquo inſpiſſato &c. decocto vel extracto ſeparare, eamq́ue pulveriſatam denuo conjungere, aut ſpiritu vini ſolutam, amygdalisvé ſubactam, addere non præcipit.

Quod

Quod myrrham & gummi ammoniacum concernit, ea licet in aceto nonnihil diluantur, ab adfusis tamen aquis iterum præcipitari, & nihil ab illis dissolvi, quod per chartam bibulam transeat, *Hoffmannus* objicit; cùm verò me scribentem videat, si quid præcipitetur, partem tantùm resinosam id esse, aqueâ, non omnis virtutis experte, per chartam emporeticam transeunte, hanc, videlicet aqueam, esse adhuc probandam, regerit; & si adsit, manere tamen quæstionem, an talis sit virtutis, quæ pro his Pilulis marocostinis expetitur? Sed 1. nondum à me concessum fuit, superinfusas aquas istas resinam omnem præcipitare, aliud enim cuivis experimentum, imprimis in gummi ammoniaco, facilè vel cum aqua simplici instituendum, monstrabit.

2. Nec concessi, chartam emporeticam resinosæ illi aceto dilutæ neque præcipitatæ parti omnem per poros suos transitum denegare; transire enim de ea aliquid, ocularis iterum fides demonstrat, præcipuè si solutio illa calida adhuc filtretur.

3. Partem aqueam in myrrha & gumi ammoniaco ostendere, non est difficile. Solutio quippe talis si, resinosâ substantiâ separatâ, calori ulteriùs committatur, extractum tandem in fundo remanet; quod quidem in gummi ammoniaco perpaucum est, copiosius verò à myrrha provenit; unde etiam ab ipso *Zvelfero*, cujus tamen defensioni hîc insudatur, duplex myrrhæ substantia, resinosa scilicet & mucilaginea, adjudicatur; hinc *Pharmac. Reg. pag. 254.* myrrham nonnihil de mucilaginea substantia participare, tradit; gummata autem mucilaginosa simplici aquâ, vel destillatâ vel aliis liquoribus dissolvi commodè posse, *pag. 129. Pharmac. August. reform.* animadvertit.

4. Maneat per me quæstio: an aqueæ istæ particulæ talis sint virtutis, quæ pro his Pilulis marocostinis expetitur, usque dum, eam non expeti, solidè demonstretur. Mihi utraque proba-

probatur; hinc nec præparationem, quæ utriusque conservationi debitè studet, rejicio.

III. Agaricum trochiscatum, lignum aloës & costum verum succis herbarum & aquis destillatis perfectè extrahi non posse, cum *Zvelfero Dn. Hoffmannus* scribit, mihique, aliquam simplicium istorum partem extrahi, regerenti, Pilulas has Mindererianas ab ea suas non mutuari vires, respondet; quod si de omnibus medicamenti viribus dicatur, concedo; ast nullas accedere indè vires, pernego.

Cætera, quæ sequuntur, cùm ex mea sententia proferantur, transilio, atque ad alia me confero.

CAPUT VI,

de Pilulis tartareis Quercetani.

CIrca Pilulas tartareas Quercetani *pag. 103. 104.* eandem mecum fovet sententiam *Dn. Hoffmannus*, in paucis saltem discrepans, ita ut unicum sit, quod monere debeo; dum scilicet Zvelferum rectiùs suadere, *adnotatione quintâ* judicat, ut, aquæ loco, vinum pro styracis solutione sumatur, cùm ab hoc meliùs dissolvatur. Quam equidem meliorem styracis solutionem ipse *pag. 111. Pharm. August. Rest.* haud negavi; ast major vini spirituosa substantia in coctione illa cùm avolare cogatur, minùs commodè vinum substitui, ne frustra profundatur, innuere è *Zvelferi* fundamentis volui, cùm eundem effectum aqua saltem simplex quoque largiatur; sive jam resina styracis cum superstite à prædicta coctione vini phlegmate diluta permaneat, sive ab eodem separetur; quia illud phlegma præ aqua simplici nullam hîc prærogativam obtinet.

Sed regerit *Hoffmannus: licet spirituosa vini substantia in decoctione avolet, ut styrax separetur, tamen cum reliquis speciebus melius misceri*

misceri poterit. Quæ tamen objectioni meæ neutiquam satisfaciunt, ac potius priorem sententiam meam stabiliunt. Videtur enim concedere *D. Hoffmannus*, spirituosam vini substantiam in coctione illa avolare, & hinc styracem iterum à liquore separari ac præcipitari. Sed quomodo styrax ita separata misceri cum reliquis speciebus meliùs poterit? Styrax namque unà cum superstite vini phlegmate, confecto mediante aquâ simplici è speciebus extracto liquido, vel decocto addi, sicque, una cum adjuncta aloë, exsiccari debet. Jam notum est ex *Zvelfero*, eum non tantùm negare, resinas in aqueis liquoribus resolvi, vel ritè sic misceri posse, verùm etiam, si virtutem suam exserere debeant, necesse esse, ut extracto inspissato pulverisatæ, vel spiritu vini solutæ, amygdalisvé dulcibus subactæ conjungantur; quæ tamen hîc à *Zvelfero* minimè observantur; id est, resina styracis phlegmati vini innatans 1. extracto diluto, sive largæ decocti quantitati (minimè inspissatæ) additur; 2. à phlegmate vini non separatur, exsiccatur, ac pulverisatur; 3. in spiritu vini &c. non denuo resolvitur; 4. amygdalis dulcibus &c. non subigitur.

Imò posito, styracem in superstite à vini coctione liquore esse ritè solutam, nec separatam, idem tamen postea, ubi cum aquoso isto prolixo decocto confunditur, accideret, quod in præcedente marocostino Extracto contra *Augustanos* defendere, *Dn. Hoffmanno* cum *Zvelfero* libuit, gummi videlicet ammoniacum & myrrham, licet aceto nonnihil diluta, ab aquis tamen adfusis iterum præcipitari; sic licet resina styracis in vino vel ejus phlegmate nonnihil solveretur vel dilueretur, ab adfuso tamen aquoso decocto iterum præcipitaretur.

Sed in ipsius *Dn. Hoffmanni* decisione adquiesco, quam ex *Zvelfero, adnotatione sextâ* profert, ubi resinam styracis in decoctum migrare non posse, ipse fatetur.

 CAPUT

CAPUT VII,

de Scammonio sulphurato.

P*Ag. 111* scamonij cum sulphuris fumo correctionem Zvelferianam propugnat *Dn D. Frider. Hoffmannus*, qua lentissimo igne, absque liquefactione, cum sulphure suffumigatur, eoque meliùs præparari & corrigi traditur, quò diutius suffumigatio illa continuatur. Quam *Zvelferi* censuram minùs firmo stare talo, *pag. 155. Pharmac. August. Restit.* regessi, cùm potius destructionem, quàm correctionem scammonio promittat. Verùm scammonium vocat *Dn. Hoffmannus* succum resinosum, sale scatentem volatili caustico, acri, mordaci ac maligno, à quo tantam habeat acrimoniam, ut intestina erodat, ventriculum lacessat, imò totam massam sanguineam fermento suo colliquativo corrumpat; hoc autem figi commodiùs nòn posse, perhibet, nisi acidis, à quibus fortem illam & acrem colliquativam operandi vim mitescere, certissimum sit, atque ideo quò diutiùs & pleniùs sulphuris fumo imprægnatum sit, eò etiam tutius & efficacius in operando pharmacum fore, quidquid ego contradicam. Quæ omnia firmo adeo robore haud pollere, mihi persuadeo.

Namque scammonium licet succus sit resinosus, sale scateat volatili, caustico, sive acri & mordaci, propterea tamen cum acidis figendum esse, minimè sequitur. Quia omnia salia volatilia certo modo sunt caustica, acria & mordacia, atque eapropter cum acidis semper essent figenda, antequam in corpus ingeruntur; quam tamen nec *D. D. Hoffmanni* esse mentem, scilicet quòd volatilia salia ligari semper cum acidis debeant, nullus dubito. Imò volatilis hujus salis per acida ligationem ipse *Zvelferus pag. 38. append. animadvers.* hunc in modum improbat: *acida omnia salsis contraria, illa scilicet salsa in aliud ens transmutare*

mutare ſolent, acido reciprocè deſtructo, ut neutrum horum poſt, nec acidum nec ſalſum nativas ſuas vires amplius exſerere poſſit. Cùm verò non minima purgantium, & ita etiam ſcammonij, virtus in volatili illa parte conſiſtat, quid ſuffumigatione iſtâ impetretur, facilè quivis ex ipſius *Zvelferi* deciſione perſpiciet.

An autem idem ſal volatile in ſcammonio unà malignum ſit, alij doctiores judicent? Mihi negare hoc, jam non eſt animus, imprimis cùm ipſe *Dn D. Hoffmannus pag 166.* purgantia ſemper aliquid naturæ infenſi admiſtum habere, determinet, & *pag 75.* ſui *Meth. med.* euphorbium, elaterium &c. qualitate deleteriâ prædita, adſerens, *reliqua* pariter purgantia, *quæcunque etiam fuerint, quæ communiter ſtatuunt omni pravâ ac colliquativâ carere qualitate, ſi accuratius examinentur, vix immunia* eſſe, ſtatuit, quia aliquid etiam naturæ infenſi admiſtum habeant, quo viribus noſtris imponant, idque *Galeni* & *Ebn Sinæ* conſenſu illuſtrat. Et tamen malignæ vel deleteriæ hujus qualitatis abolitio in reliquis non ſemper tam anxiè quæritur; imò non ſine virtutis nativæ detrimento obtineri poteſt. Quare, ut cum *Hoffmanno* rurſus loquar, *quemadmodum in Republicâ multa permittuntur mala, ne graviora mala ex nonnullis ſeverè prohibitis excitentur, ita & nos aliis deſtituti præſidiis, iis intereà Ratione & Experientia comprobatis licet non ſine virium jacturâ, ſuam ſæpe operationem abſolvant facile tamen emendabilem, utemur.*

Scammonium verò genuinum (cum adulterino & illegitimo ſiquidem nihil nobis eſt negotij,) tantæ eſſe acrimoniæ, ut inteſtina erodat, ventriculum laceſſat, totamque maſſam ſanguineam fermento ſuo colliquativo corrumpat, ſi de legitimo etiam ejus uſu dicatur, creberrima ſalutaris ejusdem exhibitio haud admittit.

Non negatur, fortiora inter cathartica, ſive quæ minori in doſi virtutem ſuam potenter exſerunt, eſſe referendum; ut

adeo in hujus exhibitione faciliùs possit ab imprudenti error aliquis committi, sed dosis conveniens ritè propinata, reliquis non neglectis à prudenti Medico circumstantiis, innocentiam ejus abunde defendit.

Quò optimè quadrat, quod *Zvelferus pag. 54. & 55. Pharmac. Reg.* de resinarum purgantium, uti scammonij, gialappæ &c. exhibitione tradit, eorundem cum amygdalis dulcibus subactionem præcipiens, cùm aliàs ventriculo & intestinis tenacitate resinosâ facilè adhærere, & eadem acrimoniâ suâ ac venenatâ qualitate lancinare, totum nervosum genus in consensum trahere, ac infinita mala inducere, atque in specie tormina, passiones colicas, immoderatos alvi fluxus, imò lethalem quandoque hypercatharsin causare valeant.

Unde illâ tantopere commendatâ cum acidis fixatione opus haud esse, denuo concludo.

Sulphuris tamen fumo mitescere fortem scammonij operandi vim, concedo; sed quàm benè hoc agatur, *Helmontius tr. Pharmacop. ac Dispens. modern. §. 48.* edocet: *scammoneam,* inquiens, *rebus acidis incoquunt, ut mitigent: sed novit jam medentum vulgus, sic scammoneam castrari, adeo ut si acido sulphuris vapori exponatur, planè orbetur suâ virtute, tantumq; scammoneæ decedere, quantum aciditatis hauserit.*

Conferri hîc meretur ingeniosa *Clar. Joh. Nicol. Pechlini* sententia, qua purgantium virtutem ab oleosi, volatilis & acris mistione, in *tract. de purgant. medicamentor. facultatib.* eruditè deducit; cumque illud sal acre alcalicæ, sive, ut alij loquuntur, salsæ naturæ esse, defendat, eiusdem cum acidis fixationem meritò damnat, atque cum *Helmontio* castrationem *cap. 17. & 21.* adpellat.

Si tamen scammonij sal acre spiritu acido ligandum esset, ipsa certè gialappæ &c. resina eandem quoque deposceret correctio-

rectionem, cùm & in illa non exigua acrium particularum copia abundet; quas tamen acidis obtundere, neque *Dn. Hoffmannus*, neque *Zvelferus* præcipiunt.

Ut taceam, quòd *Zvelferus* ipse *pag. 134. animadverſ.* liquores acidos, quicunque illi ſint, res quaslibet, cum minerales, tum vegetabiles, quæ ipſis imbuuntur, pro ratione majoris vel minoris quantitatis additæ, figere & ligare quodam̃odo, tradat; unde fiat, ut ipſæ nativas ac genuinas virtutes minùs, quàm aliàs, ubi liberæ ſunt, nec peregrinis additamentis præpeditæ, exſerere poſſint; ideoq́ue præſtare judicat, cathartica in viribus ſuis & effectibus illis, ad quos à natura deſtinata ſunt, non impedire, vel etiam deſtruere. Quæ omnia uti ſcammonium pariter reſpiciunt: ita eidem quoque adplicare iſta, cuivis eſſet perfacile. Adeoq́ue ſcammonij præparationem à *Zvelfero* datam veræ & genuinæ nomine dignam, juxta ipſius *Zvelferi* latam ſententiam, nemo jure æſtimare poteſt.

CAPUT VIII,

de Alcalibus volatilibus.

Cùm *Clar. D. Otto Tackenius* ſalia volatilia urinoſa nomine alcalium proponat, minùs rectè id fieri, *D. D. Frider. Hoffmannus pag. 115.* cum *Zvelfero* exiſtimat, quia inſigniter differant à ſalibus alcalibus non ſolùm volatilitate, ſed & præparatione, virtutibus, ac ratione ſubjectorum, è quibus eliciuntur. Et cùm *Pharmac. Auguſt. Reſtit. pag. 524.* tanti momenti controverſiam illam, à *Zvelfero* contra *Tackenium* motam non eſſe, luſumq́ue ſaltem in terminis exiſtere, volatilia nihilominus illa non inconcinnè alcalia dici poſſe, innuam, eò quòd alcalium fixorum, per incinerationem productorum naturam, qua acidis contrariantur & cum illis effervefcunt, imitentur, iterum

ſeſe mihi opponit *Dn. D. Hoffmannus*, & hac ratione etiam coralia, oculos cancri, C. C. uſtum, & omnia quæ acidis contrariantur, alcalia fore, objicit; id quod inconveniens eſſe, concludit. Sed hæc cujus roboris ſint, jam diſpiciamus.

Prodeat ipſe *Zvelferus*, contra quem nimirum tunc in materia illa decertavi, & quem *Hoffmannus* jam in arenam reducit, atque cur volatilibus illis alcali nomen haud competere queat, nos edoceat. Is itaque *pag. 81. apolog. adverſus Tacken.* ſequentes rationes adducit: quia 1. toto cœlo differant ex ſui natura; 2. modo planè contrario fiendi; 3. omnibus proprietatibus ſuis; 4. ratione regni, accedit 5. quòd nullus alius unquam inventus, qui ſales volatiles alcalia adpellaverit. Licet hæc omnia ita ſe haberent, nondum tamen, volatilibus ſalibus nullo modo alcali nomen imponi poſſe, evincunt. Hoc quidem certum eſt, neque à *D. Tackenio*, à me, aut ab ullo alio unquam fuit negatum, quòd, ſi primæva ſignificatio alcali ſpectetur, nomen iſtud ſali tantùm ex herba Kali incinerata propriè competat; eodem tamen nomine, ſed impropriè, alia etiam vegetabilium ſalia, ex incineratis hiſce educta, ob ſimilitudinem aliquam, vel, uti *Zvelferus* loqui amat, per quandam analogiam, venire poſſunt; prout etiam idcirco, licet pariter impropriè, ob nonnullam convenientiam, ſive analogicè, volatilibus urinoſis nomen alcali, cum additione: volatilis, ad differentiam alcali fixi, imponere licitum eſt.

Sed prolatas rationes adcuratiùs perluſtrare libet: 1. toto cœlo differunt ex ſui natura, objicitur. Quod non ſimpliciter concedo. Alcalia quidem Zvelferiana fixa ſunt, reliqua autem volatilia. Verùm eandem naturam obtinuerunt, ſcilicet ſalinam, ideoque ab omnibus ſalis etymo ſalutantur.

2. modo fiendi planè contrario. Si plurimorum ſalium volatilium à *Zvelfero* tradita præparatio v. g. cornu cervini, vipera-

perarum, hirundinum &c. quæ per violentam deſtillationem peragitur, attentiùs excutiatur, contrarius planè fiendi modus in omnibus non agnoſcetur. In utroque enim modo rei, è qua ſalia iſta producuntur, combuſtio requiritur, differentiâ ſaltem intercedente, quòd volatile per calorem ſpontè à terreſtri corpore ſegregetur, fixum autem adfusâ aquâ ſeparari depoſcat.

3. omnibus proprietatibus ſuis. Ex. gr. ſal alcali fixum effervеſcit cum acidis, ſulphura extrahit, acidum morboſum abſorbet, obſtructiones reſerat &c. Idem facit alcali volatile. Unde omnibus proprietatibus differre inter ſe hæc ſalia, negatur.

4. ratione regni. Qua objectione, ſal alcali fixum ex vegetabili regno, volatile autem ex animali deſumi, innuere vult *Zvelferus*; ſiquidem in univerſum animalia nihil in ſe fixi concludere, quàm terram emortuam, ſterilem & exſuccam *pag. 226. Pharm. Reg.* & *pag. 216.* vegetabilibus nullum ſal volatile ineſſe, defendit. Sed vegetabilibus non deeſſe ſal volatile, neminem ſpero ampliùs fore, qui dubitet. Animalibus verò cunctis, ſive earum partibus deeſſe omne ſal fixum, multi adhuc ſunt, qui conſtanter pernegant.

5. denique etiamſi nullus inventus fuiſſet alius, qui ſal volatile adpellaverit alcali, propterea tamen *Tackenio* aliisvé cur id facere non liceat? Quis ante *Zvelferum* acetum deſtillatum concentratum adpellavit ſpiritum Veneris? An ergo eundem ita vocare, *Zvelfero* eapropter non fuit integrum? Quamvis *Celeb. Tackenius*, neutiquam primum ſe eſſe, probè ſciat, qui volatile ſal vocaverit alcali. Quaſi *Job. Bapt. Helmontius* non idem auſus fuerit, dum v. g. diuretica alcali volatile continere, *cap. 5. §. 16. de lithiaſi* teſtatur, & *tract Blas humanum §. 53. omnis potio*, ait, *vulneraria, occultum alcali, & quidem volatile, in ſe contineat, oportet,*

oportet, si accidentibus ex corruptione acoris natis, resistere debeat. Quatenus alcali quodvis omnem aciditatem, quam attingit, perimit; & *tract. de sede animæ ad morbos* §. *20.* sic repetit: *imprimis herbas vulnerarias operari virtute cujusdam innati alcali, aliàs ostendi.*

Cæterùm in terminis saltem esse lusum, adhucdum adsero. Quod enim *D. Tackenius*, & alij sal alcali volatile, *Zvelferus* sal volatile salsum nominat. Ut adeo *Tackenius* vera scribat, salia volatilia animalium esse alcalia, non verò salsa, innuens; siquidem ipse salis sub nomine sal neutrum, sive quod ex acido & illi contrario alcali mistum est & enixum, proponit. Nec vicissim à veritate deffectit *Zvelferus*, dum salia animalium volatilia esse salsa, non verò alcalia, urget; cùm salis sub vocabulo ipsi veniat, quod *D. Tackenio* alcali audit. Res itaque eodem recidit; modò quid terminis istis indigitetur, unà explicetur; ne, refutando alios, innoxium saltem aërem percutiant Censores rigidi; prout toties *Zvelferus D. Tackenium* mendacij, contradictionis &c. arguit, si hìc salia v. g. neutra nomine salsorum indigitat.

Quamvis fateri quilibet debeat, salis nomen primariò sali nostro, communi competere; adeo ut sal simpliciter scriptum si reperiatur, de eodem accipiendum sit; illud autem mediæ naturæ, i. e. ut *Zvelferi* termino utar, acido-salsum esse, non est dubium; nec ipse *Dn. D. Hoffmannus* contrarium perhibet; licet etenim *pag. 333. col. 1.* ex numero salium purè acidorum sal commune esse scribat, *col.* tamen. *2.* idem sal commune ex spiritu salis acido, & sale tartari fixo, tanquam alcali fixo, fieri ostendit. Unde, si propriè sit loquendum, sponte jam sequitur, quòd illa salia, quæ ad naturam salis communis, scilicet ut sint ex acido & alcali composita, proximè accedunt, salsa multò rectiùs essent vocanda, quàm alcalia, quæ longè à salis communis natura abeunt.

Et hoc fundamento jacto, negari eâdem facilitate posset, alcalibus fixis nomen salis convenire, qua volatilia non esse alcalia dicenda, *Zvelferus* propugnat. Namque 1. sal propriè dictum, sive commune, ab alcalibus fixis differt ex sua natura; cùm constet ex acido & alcali, alcali autem tantùm ex alcali; 2. modo fiendi; alcalia quippe prægressam corporum, è quibus educuntur, combustionem requirunt, sal verò commune est salsugo aquæ salsæ, marinæ scilicet vel fontanæ, quæ salsugo humiditatis aqueæ evaporatione inspissata remanet, prout hunc in modum ab *Exc. Schrödero pharm. med. chim. lib. 3. cap. 21.* describitur; 3. proprietatibus suis. Alias aliquas virtutes sal commune, alias alcali fixum possidere, extra controversiam est; 4. ratione regni. Sal commune in mineralium catalogo ponitur, alcalia fixa in vegetabili regno natales sortiuntur.

Ex quo jam adparet, salia illa neutra non inconcinnè salsa dici. Præterea si sunt salia, ut *Zvelferi* verba *pag. 82 apolog. contra Tacken.* adplicem, erunt ergo salsa. Nam salia esse, & non salsa esse, implicat; ergo salia enixa sunt verè & ex sui natura, realiter salia, & quidem purè salsa.

Taceo, quòd, salibus volatilibus, ob rationes supra ventilatas, alcali nomen imponere si haud conveniat, plura alia Præparata nomine, quo hactenus in Officinis & alibi nota fuerunt, essent privanda; v. g. *saccharum Saturni, crocus Martis &c.* Non enim ipsis cum saccharo propriè sic dicto, & croci floribus, si naturam eorundem, fiendi modum, proprietates & virtutes &c. consideremus, similitudo intercedit, & tamen à *Zvelfero* & *Hoffmanno* saccharum & crocus adpellantur.

Quod verò *Dn. D. Frider. Hoffmannus* objicit, eâ ratione, si nimirum alcali dicendum sit, quod acidis contrariatur, coralia etiam, oculos cancri, cornu cervi ustum, & omnia, quæ acidis contrariantur, alcalia fore, nihil contra me evincit. Nam

quòd corpora illa acidis contrarientur, & cum iis effervescant, id propter innatum ipsorum alcali fieri si dicerem, neque ipsius *Dn. Hoffmanni* censuram incurrere possem. Ipse enim in coraliis, & lapillis cancrorum tale sal alcali agnoscit. Idcirco omnem coraliorum virtutem dependere ab eorum occulto alcalisato, *pag. 162.* statuit, quo acidum præternaturale in corpore præcipitent; de lapillis itidem cancrorum *pag. 191. meth. med. Vi non solum vulnerariâ*, inquit, *ac febrifugâ*, *sed & diureticâ & lithontripticâ, quæ ab innato illorum alkali dependet, excellunt*; & *pag. 699. notar. Schröder.* cum *Helmontio* in istis lapidibus alcali agnoscit; is etenim *tract. Blas human. §. 53.* ob occultum volatile alcali eos diureticos & vulnerarios declarat; similia etiam *§. 20. tract. à sede animæ ad morbos* exhibet.

Licet, ut & hoc moneam, coralia, oculi cancrorum &c. quamvis acidis contrarientur, propterea non statim salia alcalia dicenda esse, sequatur, sed tantùm corpora sal alcali in se reconditum habentia. Nobis hîc de salibus, iisque meris salibus, non aliquo cum corpore mistis, sermo est. Unde omnia illa salia (non omnia corpora mista,) quæ acidis contrariantur, sive illa pura sint, sive aliis immersa & occultata corporibus, salia alcalia solùm dici debent.

Cùm verò *Zvelferus* alcali nomen salibus animalium volatilibus ideo minimè competere insuper autumet, quòd, licet acida, tanquam contraria, immutent, eadem tamen non totaliter destruant; cùm econtra salia lixivialia, sive alcalia fixa totaliter destruant acida, inque aliud ens ambo degenerent, à quo arte revocabilia nunquam, longè eum falli, judicavi. Nam posito, salia volatilia ab acidis tantummodo immutari, fixa autem alcalia ab iisdem totaliter destrui; hoc sanè nondum evincere, objeci, ista non dici posse alcalia, quia & dicta immutatio, & destructio contrarietatem involvunt, & in utraque salia

in

in aliud ens degenerant. Verùm instat *Hoffmannus: hæc ratio Zvelferi omninò evincit salia volatilia alkalia dici non posse, eò quòd alkalia spiritus acidos destruant & in aliud esse tertium convertant, quod quasi ipsorum proprium est; volatilia autem licet ab acidis quodammodo immutata, tamen iterum ab his separari possunt. Deindè immutatio & destructio non contraria, sed subordinata sunt. Tertiò quod de spiritu vitrioli affert, quem iterum ex Tartaro vitriolato revocabilem esse probat pag 521. ambiguæ mechanicæ est, ego sæpius frustraneo effectu tentavi, tantis autoritatibus non refragans facilè me submittam, donec contrarium crebrioribus laboribus evincam.* Verùm rationes hæ nihil planè evincunt. 1. Namque, spirituum acidorum per alcalia fixa destructionem esse de nihilo, repeto, cùm ex. gr. tartarus vitriolatus ignis torturâ spiritum vitrioli iterum dimittat; nec urgebo jam, quòd acidi spiritus pariter per alcalia volatilia destrui, *Zvelfero pag. 28. 38. 72. append. animadv.* dicantur. Deinde quamvis alcali fixum & acidum, per factam sui conjunctionem, in aliud tertium, scilicet quod neque alcali, neque acidum simpliciter dici potest, abeant, sciendum tamen est, volatili quoque alcali, cum acido maritato, idem accidere; unde ipse *Zvelferus*, salia animalium urinosa ab acidis in aliud ens transmutari, *pag. 38. cit. append.* & *pag. 72.* eadem salia volatilia, cuncta fermenta acida & spiritus corrosivos omnes in aliud esse planè commutare, ipsaque etiam in alienam naturam converti; nec non *pag. 28.* spiritum acidum quemcunque, & urinæ urinosum, si conjungantur, in ens alienum transmutari, ac neutram, & à parentibus diversam sobolem progenerari, scribit.

2. Immutationem & destructionem non contraria, sed subordinata esse, in dubium non vocabo. Sed quomodo opinionem suam contra me stabilire ex hoc valeat *Dn. Hoffmannus*, minimè video. Si tamen attentiùs rem inspicio, verbis meis alienum sensum tribui, existimo. Sic enim adversus *Zvelferum*

infero: *Posito, salia volatilia ab acidis tantùm quodammodo immutari, fixa autem alcalia ab iisdem totaliter destrui, hoc tamen nondum evincit, ista alcalia dici non posse, quia & dicta immutatio, & destructio contrarietatem involvunt.* Videlicet dicta salium acidorum & volatilium urinosorum, ab eorum conjunctione orta, immutatio contrarietatem acida inter & alcalia volatilia involvit; & dicta pariter salium acidorum ab alcalibus fixis, atque fixorum alcalium ab acidis destructio contrarietatem inter illa designat.

3. Spiritus vitrioli è tartaro vitriolato prolectio ambiguæ utique mechanicæ esse potest, nec illa succedet, si ritè non instituatur; ast destillatio ubi benè peragitur, spiritum istum elargitur. Sic tartarum vitriolatum, cum triplo boli exactè si misceatur, frustraneam non reddere destillantis operam, sed spiritum largiri acidum, iterato, dum hæc scribo, experimento confirmor.

Inconcussum itaque manet, optimo jure alcalia vocari posse, quæ ex animalibus & vegetabilibus artificiosè eliciuntur salia volatilia, acidis opposita. Eoque audaciùs ita concludo, quò certior sum, ipsum *Dn. D. Hoffmannum*, licet pluribus contrariam sententiam prius propugnaverit, tandem dum discursui illi colophonem imponit, magis amicas manus mecum jungere, & alcalica vel alcalizata dici illa posse, consensu suo confirmare. Facilior itaque in hoc ero, & salia ista volatilia, si loqui adcuratiùs velimus, non tam alcalia, quàm alcalica (de alcalizati vocabulo nonnihil dubitans, quod Criticis excutiendum relinquo) concedam, esse dicenda; modò & hoc admittatur, quòd reliqua etiam salia fixa per incinerationem &c. vegetabilium producta, si adcuratè sint denominanda, non tam alcalia, quàm potius alcalica vocari debeant; non enim sunt revera salia alcalia, sive salia ex herba Kali facta, sed illi ex herba

Kali

Kali elaborato sali, ideoque alcali propriè dicto, similitudine aliquâ saltem accedunt, atque idcirco alcalica existunt.

Licebit interim mihi, cum pace aliorum, ipsiusque *D. Hoffmanni*, salia volatilia dicere alcalia; cùm & eandem libertatem ipse sibi integram voluerit; quod uno alterové exemplo facilè ex ejus *Methodo medendi*, dum *pag. 179.* in epilepsia, mania &c. ex succo nervorum acido &c. obortis, *medicamina sale alkali volatili referta*, qualia spiritus C. C. sanguinis humani, conducere; *pag. 183.* in nephritide vi abstersivâ, ex *alkali volatili* & acido constantia pharmaca offerenda esse; & *pag. 262.* cruditatem acidam quodammodo volatilem figi & immutari ab *alkalibus volatilibus salsis*, uti spiritu salis ammoniaci salso &c. perhibet, demonstrari potest. Atque in *notis Schröder. pag. 36.* nec non *pag. 668. acidum & alkali* pro duobus salibus fundamentalibus haberi posse, concedit, pro quorum diversa constitutione, dum raró per se in concretis naturalibus inveniantur, quia aliis mixti particulis sint immersa, etiam productum reciprocæ istius actionis & mutui concursus variet, ut ex hisce cum aliis Naturæ minimis diverso modo connexis quoad figuras, texturas, magnitudines & indè resultantes diversas motiones, non solùm eorum varietas, sed omnes ferè in natura notabiles alterationes originem suam trahant. Sed cùm sal alcali fixum, docente illud quoque *Hoffmanno*, actuali demum igne & per combustionem producatur, necesse est, ut per præfatum alcali, non fixum, sed volatile intelligat. Ceu pariter de alcali in corpore humano præter naturam redundante, id interpretari decet; quo de *pag. 262. 277. 319. meth. med.* agitur.

CAPUT IX,

de Lapidis lazuli præparatione.

DE lapidis lazuli præparatione *pag. 438. & 439. Pharmacop. August. Restit.* egi, quem abluere, supervacaneum esse *pag. 181. Dn Hoffmannus* æstimat, cùm sufficiat, si modò purus nec nimis saxosus obtineatur. Hinc nil absonum veritati *Zvelferum* loqui, subjungit, dum utrumque, & quod eluitur, & quod à lotione remanet, purum pulverem lapidis lazuli esse, statuit, nullo planè sapore vel per se imbutum, nec etiam aquam eodem imbuentem. Et hoc experientiâ cuilibet manifestatum iri, confirmat, si probare libuerit; falsumque esse, ablutione præparatum non movere vomitum, non lotum autem hoc perficere, cùm tam non lotus, quàm lotus ἄνω ϗ κάτω purget. Verùm, si purus fuerit lapis ille, nec impuritates aut alienos succos admistos habeat, quòd nihilominus lavandus sit (quamvis ablutio ista nec adeo laboriosa, nec sumtuosa existat,) haud defendo. Unde nec absona loqui *Zvelferum*, judico, quatenus de puro lapide agit.

Illud autem, quod in ablutione instituta separatur, partem saltem aliquam pulveris lapidis lazuli esse, negatur; si aqua, ceu ratio suadet, antequam abjiciatur, per aliquod temporis spatium reponatur, quò subtilior pulvis per aquam dispersus fundum petere queat.

Elotum autem pulverem nullo planè sapore esse imbutum, facilè credo. Nam licet ante ablutionem saporem notabilem possideret, hic tamen post loturam, utpote per quam auferri debet, in eo utique non ampliùs invenietur.

Aquam etiam saporem aliquem à lapide lazuli non præ se ferre, imprimis si negligentiùs gustetur, & liberaliter adfusa, sicque particulæ sapidæ, quas aliàs etiam non in ea quantitate

admi-

admiſceri dicam, qua promtè linguam adficere valeant, diſgregatæ nimiùm fuerint, haud negabo. Aſt per evaporationem concentrata linguam ſapore alieno feriet.

Utrùm tam lotus, quàm non lotus, ἄνω ϰ̀ κάτω purget, inexpertus haud dijudico. Probabile interea eſt, magis poſſe vomitum quandoque excitari à non loto; cum v. gr. ſalia acida, ſi ei fuerint permiſta, æris ramenta, univerſam lapidis lazuli maſſam (uti *Celeb. D. Olaus Borrichius tom. 1. Actor. Hafniens.* ab *Ill. Th. Bartholino* editorum, *obſerv. 68. pag. 129.* loquitur) hinc indè percurſantia, ſolvere apta nata ſint, ſicque lapis, vitrioli venerei naturam referentes particulas nactus, ubi non eluitur & doſi liberaliori propinatur, ad vomitum magis irritare valeat.

Pergit dein *Dn. Hoffmannus: Adſertio Schröckij Nos etiam fruſtratur, lixivioſam ſeu alkalicam Lapidis Lazuli proſapiam guſtu judicari, experimento enim facto, ipſum opinione falli deprehendemus.* Aſt verba mea ſi debitè conſiderabuntur, opinione me falli, tam promtè in poſterum non ampliùs objicietur. Neque enim in omni lapide lazuli ſal aliquod reperiri, certò venditavi; ſed in aliquibus dari, ut ſcriberem, experimentum ſollicitè à me inſtitutum, non nuda opinio, incitavit. Licet non lixivioſam ſeu alcalicam lapidis lazuli proſapiam guſtu me judicaſſe, ſed lixivioſæ *ferè* proſapiæ eſſe ſal iſtud, guſtum judicaſſe, ſcripſerim. Ego quidem de fida *D. Hoffmanni* relatione & ritè inſtituto experimento non dubitabo, ſic ut nullum ſal in lapide lazuli, quem præ manibus habuit, dicto modo inveniſſe ipſum, concedere velim; ab uno tamen alteroque lapide lazuli mox ad omnes argumentari, minimè convenit.

CAPUT

CAPUT X,

de Auri crudi uſu medico.

NOndum hîc priorem meam ſententiam deſerere poſſum; & quanquam nec auro foliato, nec ſcobi aureæ magnam in medicina utilitatem adſcribere velim, rationes tamen, ob quas *Zvelferus* auri folia rejicit, parum roboris continere, ideoque juſtè fuiſſe impugnatas, neque hactenus ſufficienter defenſas, ſcribere non vereor. Easdem itaque repetere, & quo modo à *Dn. Hoffmanno pag. 200. 201.* vindicentur, perpendere libet.

I. *Zvelferus Pharmacop. Reg. pag. 251.* aurum à debili noſtro calore & fermento ventriculi inſito actuari non poſſe, defendit. Hoc tamen non conſiderato, *pag. 317. Mantiſſ. ſpagyr. Pulverem Excell. Archiatri D. Antonij de Pozis,* qui & ſcobem & folia auri recipit, magno extollit præconio, inque illo aurum, Solis inſtar, ſpiritus noſtros irradiare, concentrare, allicere ac à malignis vindicare & tueri, perhibet. Jam in Pulvere hoc, quem aliàs ſuo in pretio relinquo, eximiasque virtutes à reliquis ingredientibus poſſidere non diffiteor, hæc auri elogia aut vera ſunt, aut fallunt. Si hoc dicatur, omnis ille diſcurſus jam ſponte corruit. Sin illud; cur aurum in folia diductum ſpiritus itidem irradiare &c. non valeat? Namque aurum foliatum eſt aurum, quoad naturam aut ſubſtantiam ſuam nullo modo immutatum.

II. Aurum foliatum multò ſolidioris & compactioris ſubſtantiæ eſſe, *cit. Mantiſſ. pag. 316.* ſcribit, quàm ut à calido noſtro reſolvi, & in actum deduci queat; aliud tamen de auri ſcobe intelligendum eſſe, judicat, cùm ſubſtantia ejusdem à ſtomachi fermento acido ſubigatur, actuetur, ſicque vires præſtantiſſimas exſerat. Verùm ſi aurum tam ſolidæ & compactæ ſubſtantiæ

ſtantiæ eſt, ut à calido noſtro reſolvi inque actum deduci nequeat, idem ſanè etiam de auri ſcobe prædicandum erit; imò multò magis de ipſa, quàm de auri foliis, quæ tam ſolida & compacta haud exiſtunt, ſed in ſubtilius corpus artificis manu diducta.

Animadverti etiam in *Cenſura mea*, quòd *Zvelferus* de auro foliato agens, ſolum ventriculi calorem, qui utique nullam in aurum foliatum poteſtatem habet, nominet; de ſcobe verò differens, fermenti ventriculi mentionem faciat, cui ſanè majorem in aurum agendi vim ineſſe, lubentiùs conceditur; vid. *Pharmac. Auguſt. Reſtit. pag. 153.* Hîc inſurgit *D. Hoffmannus*, & omnino adeo ſubtilis eſſe ſubſtantiæ folia auri, objicit, ut calor fermentalis ventriculi noſtri in ea agere nequeat, cùm notum ſit, in omni actione juſtam non ſolùm diſpoſitionem agentis ad patiens, & patientis ad agens, ſed etiam moram requiri, ut agens in patiens ſuam exſerere actionem poſſit; folia inſuper auri ob tenuitatem, volubilitatem & ſubtilitatem quaſi inporoſam ita eſſe diſpoſita, ut ſal ventriculi fermentale ſeu ſpiritus fermentalis in ea ſeſe inſinuare nequeat; continuum etiam & negotioſiſſimum chyli motum, quibus folia auri quaſi immerſa ſunt, impedire, quò minùs actionem ventriculi fermentalem ſuſtinere queant; ſcobem auri econtra à ſtomachi fermento facilè ſubigi. Verùm 1. Diſpoſitio auri foliati ad ventriculi fermentum ritè ſe habet; quò enim ſubtilius auri corpus eſt, tantò faciliùs quoque fermentum ventriculi illud adgreditur; quo intuitu *Zvelferum* ad *Croci auri Mantiſſ. ſpagyr. pag. 319.* præparationem, nec non amalgamationem *pag. 320.* aurum ſubtiliter laminatum &c. utpote faciliùs reſolvi aptum, quàm ſi in compactiori maſſa foret, commendare, veriſimile eſt.

2. Moram requiri, ut agens in patiens ſuam exſerere actionem poſſit, non in dubium vocabo; ſed quòd aurum foliatum

non aliquandiu in ventriculo moram trahat, antequam ad inteſtina amandetur, qui contrariam fovent ſententiam, probare debent. Juxta *Zvelferi* mentem diu ſatis ibidem illud ſubſiſtere, ſtatuendum eſt; cùm tunicis ventriculi ſe inſinuare, ac eundem ad nauſeam & ἀπεψίαν concitare, autumet. Et licet per breve ſaltem temporis ſpatium in ventriculo hæreret, acidum tamen hujus fermentum (ſuppono enim, ex *D. Hoffmanni* ac *Zvelferi* ſententia, quòd aliquam in aurum agendi illud habeat potentiam,) interea non otioſum erit, ſed ſi non omnes auri particulas, aliquas ſaltem in actum deducet; & imprimis ob exiguam, qua communiter in uſum venire ſolent, doſin tantò promtiùs in cunctas poteſtatem ſuam exſerere poſſet.

3. Quòd ſal ventriculi fermentale in folia auri ſe inſinuare non poſſit, ob eorum tenuitatem, volubilitatem & ſubtilitatem quaſi inporoſam, me fateor non intelligere, quomodo ſcilicet id contingat; qui ſcio, iisdem menſtruum aliquod ſolvens adfuſum, ſi non citiùs, certè non tardiùs, quàm ſcobi aureæ, ſe inſinuare.

4. Continuum chyli motum impedire, quò minùs actionem ventriculi fermentalem ſuſtinere queant folia, eidem autem impedimento ſcobem, in pulverem ſubtiliſſimum redactam, haud eſſe obnoxiam, ut credam, nondum induci poſſum. Non jam urgebo, quòd folia auri, aliis medicamentis juncta, jejuno utplurimum ventriculo offerantur, ſicque motus chyli, cùm nullus ibidem præſens ſit, remoram ullam haud poſſit creare, atque ita, ſi non ſemper, ſaltem aliquando folia auri fermento ventriculi obedire queant. Nec urgebo, quòd nulla adſit cauſa, ob quam ſcobem auri ſubtiliſſimum in pollinem redactam huic pariter incommodo expoſitam eſſe, non ſit dicendum. Sed tantùm, chyli motum neutiquam impedimento eſſe poſſe, quò minùs ventriculi fermentum, quod ritè ſe habere præſup-

præſupponitur, folia auri invadat, ſive jam illud fundo lateribusvé ſtomachi infixum quaſi & impactum fingatur, ſive per totam chyli, vel potius adſumtorum jam chyloſin ſuſtinentium ciborum molem diffuſum eſſe, ſtatuatur; qua enim facilitate in cibos vim ſuam exſerit, eâdem quoque auri foliola attinget; cùm tam horum, quàm illius continuus motus exiſtat. Licet, ut id repetam, ſi vera eſſent, quæ *Zvelferus* de foliolorum iſtorum in tunicas ventriculi inſinuatione habet; negotioſiſſimo iſti chyli motui, ut ſcilicet eundem experiri unà debeant, expoſita illa eſſe minimè poſſent.

III. Utrùm auri folia, aliis medicamentis juncta, ad nihil apta ſint, niſi ut ſe tunicis ventriculi inſinuent, ac eundem ad nauſeam & ἀπεψίαν concitent, experientiam judicem eligo, quæ à talium ſymptomatum gravitate illa, dum ex. gr. in *Confectione alchermes*, *Pulvere Marchionis*, *Pannonico rubeo primo &c.* exhibentur, quotidie quaſi vindicat. Ne dicam, quòd & hac ratione mirè commendatus *Domini de Pozis Pulvis*, nec non *Confectio alchermes Zvelferiana* nauſeam & ἀπεψίαν inducere deberent; cùm utrumq; medicamentum auri quoque folia in compoſitionem ſuam admittat, ſicque *Zvelferus* ſciens volensque ægrotos odioſis iſtis ſymptomatibus gravaret. An verò auri folia *tunicis ventriculi ſe inſinuare* benè dicantur, Anatomici videant.

IV. Folia auri tandem cruda iterum ſegregari, *Zvelferus* ſtatuit. Mihi verò nullum contra eorum utilitatem argumentum deſumi exinde poſſe, regerere placuit; ſi magnetiſmo quodam & irradiatione, uti vult *Zvelferus*, aurum vires ſuas in corpore humano exſerat. Qua in deciſione nec *Dn. Hoffmannus* diſſentire videtur, dum ſcribit: *Nec obſtat, Aurum nimis compactum ac durum eſſe, ut à calore noſtro digeſtivo vinci & in actum deduci nequeat, ſed integrum per alvum iterum excerni. Nam Auri actiones*

 occultæ

occultæ sunt & magneticæ, quæ in integris sese exserunt. Quanquam cum proximè præcedentibus quomodo hoc conveniat, nesciam, dum scobem auri à stomachi fermento facilè subigi, traditur.

V. Parvam admodum foliolorum auri molem & vix foliolum dimidium, unam pulverum medicatorum dosin in *Pharmacopœja Augustana* ingredi, cùm econtra scobis auri scrupulus dimidius vel integer pro dosi una propinetur, etiam infirmo insistit pede. Nam parva licet foliolorum auri quantitas unam Pulveris medicati dosin accedat, sufficit, si hæc scintillulis aliquibus aureis indè exornetur; folia namque auri medicamento, potius ad gratiam ipsi conciliandam, *Augustani*, id quod in *notis ad Auream Alexandrinam* innuere volunt, adjungunt. Verùm foliolum vix dimidium in una dosi conspici, posset in dubium vocari; quia quamlibet *Pulveris Marchionis seu epileptici*, ut exempli loco is inserviat, drachmam, ad quam usque adscendere ingredientia ejus permittunt, non vix dimidium, sed ferè integrum foliolum auri exornat. An verò laudatus ille *D. Hoffmanno* & *Zvelfero Pulvis Viennensis* integrum, vel saltem dimidium auri scrupulum, pro summa dosi, recipiat, *pag. 154. Pharmacop. August. Restit.* monstravi. *Zvelferi Pulveris bezoardici secundi solaris & cordialis, pag. 98. Pharmacop. Reg.* descripti, singulas doses non integra tria grana Croci solaris intrant, quibus ipsis non multum inesse auri, ac magna ex parte terræ aluminis, ab oleo tartari præcipitatæ, pondus suum illa debere, si dicti Croci præparatio examinetur, deprehenditur. Sed hac vice satis de auro.

CAPUT XI,
de Essentia Martis.

Discursum Zvelferi, quem *pag. 437. animadvers.* de Martis Essentia instituit, illarum in examine *pag. 484. &c.* discussi; contra

contra quod antagoniſtam in nonnullis ſe præbet *Dn. D. Hoffmannus*, imprimis dum I. Eſſentias illas utplurimum liquidas eſſe, conſiderans, minùs rectè in vitriolum redactum ferrum à Zvelfero eas adpellari, *pag. 485.* objeci, antequam ſcilicet parte liquidâ ſeparatâ, in ſolidam abierint conſiſtentiam, cùm vitriolum corpus obtineat ſolidum. Etenim *non video*, inquit, *præfatus D. Hoffmannus pag. 233. quid obſtet, quo minus rectè Cl. Zvelferus ſcripſerit, eſſentias illas martiales cum liquoribus acidis confectas nihil aliud, quàm ferrum ſolutum, vel in vitriolum redactum eſſe. Priùs enim ſumit generaliter & latè, alterum ſpecialiter & ſtrictè &c. Ideoq; cum ſcribit, vel in Vitriolum redactum eſſe, intelligit ſynecdochicè contentum pro continente, nimirum Vitriolum, quod in iſtâ ſolutione continetur.* Quæ omnia ita ſeſe habere, jam ponamus. Quòd tamen de vitriolo illa monuerim, non niſi *Zvelferi* in gratiam, & redhoſtimentum factum fuit, utpote qui aliàs propriè rem denominandam eſſe, urget. Non repetam, quas de aloës lotura, de Balſamo loimico &c. ſpeculationes produxerit, ſed Spiritum ſaltem abſinthij ſiſto, quo de *animadverſ. pag. 424.* contra Auguſtanos animadvertit, eum tum vini ſpiritui, tum abſinthio ortum debere, & idcirco non Spiritum abſinthij, ſed Spiritum vini abſinthiten dicendum eſſe. *Auguſtani* quidem conſtitutiva ſpiritus illius probè ſciverunt, ſimiliter tamen ſynecdochicè loqui voluerunt, partem ponentes pro toto. Plura vid. *pag. 460. Pharmac. Auguſt. Reſtit.*

Optimè etiam huc quadrat ſic dictum Oleum tartari p. d. quod dum *Clar. Tackenius cap. 7. Hipp. chim* alcali tartari fixum adpellat, *Zvelferus* ipſum in *apolog. pag. 56.* hunc in modum invadit: *Quis non videt, quam ſit impropria hæc locutio? Nam primò: Oleum Tartari ſpontè reſolutum non eſt adhuc alcali Tartari fixum. Debet enim priùs ab humiditate ſua elementari, per evaporationem, liberari, donec reducatur in alcali fixum, hoc eſt, in ſiccum ſalem Tartari.*

Nam elementaris humiditas quæ à ſale tartari evaporat, & potior pars hujus liquoris eſt non eſt fixa, ſed ſal, ſeu alcali, illi inhærens. Ex quibus talis de ſolutione vitrioli, quam *Zvelferus* vitriolum vocat, ſententia ferri poſſet: Quis non videt, quàm ſit impropria hæc locutio? Nam ſolutio vitrioli non eſt adhuc vitriolum. Debet enim priùs ab humiditate ſua elementari, ſive adjuncto liquore, per evaporationem liberari, donec reducatur in vitriolum, hoc eſt, in ſiccum corpus. Nam elementaris vel alia humiditas, quæ à vitriolo evaporat, & potior pars illius ſolutionis eſt, non eſt vitriolum, vel corpus ſiccum, ſed ſal metallicum, ſeu vitriolum illi inhærens. Hinc concludo, *Zvelferum* aut minùs rectè ſolutionem vitrioli adpellaſſe vitriolum, aut minùs rectè ob nomen Spiritus abſinthij *Auguſtanos* reformare tentaſſe, & circa ſal fixum tartari *Tackenium* refutaſſe.

II. *Vitriolum Martis* ritè præparatum haud indignè Eſſentiarum martialium vices ſupplere poſſe, *Zvelfero* ſimpliciter concedere nolui, ipſis *Zvelferi* verbis pro fundamento poſitis; dum Eſſentias illas ſive ferri ſolutiones in effectu &c. quodammodo inter ſe differre, adſerit. Ubi denuo patronum animadverſionis illius agere præſumit *Dn. Hoffmannus*, ſcribens: *Nihilominus tamen licet hoc* (vitriolum) *quarundam Eſſentiarum Martialium vices haud indignè ſupplere ſtatuat, tamen non excludit & reliquas diverſis menſtruis elaboratas unde addit, horum ratione magis vel minus efficaces, magisq; aut minus aperientes, vel adſtringentes eſſe, nec non volatiliores alias, alias fixiores.* Verùm 1. *Zvelferus* non *quarundam* Eſſentiarum martialium vices à vitriolo poſſe ſuppleri, ſtatuit, ſed de *omnibus* Eſſentiis & Tincturis martialibus, cum acidis liquoribus confectis, id eloquitur; & ſic vitriolum iſtud vices *omnium* harum Eſſentiarum ſupplere poſſe, conſenſum meum recuſavi; *quibusdam* autem ſubrogari illud poſſe, nunquam contradixi.

2. Mini-

2. Minimè negavi, *Zvelferum* reliquas diversis menstruis elaboratas Essentias non excludere, cùm addat, horum ratione, magis vel minùs efficaces, volatiliores aut fixiores esse; sed tantùm negavi, quòd *Vitriolum Martis*, si ratione effectus, virtutis aperientis, adstringentisque, volatilitatis & fixitatis, quæ utique attentionem in curatione merentur, Essentiæ martiales inter se differant, cunctis hisce succedere, omnemque scopum attingere nequeat. Præterea scio, diversissima esse: Essentias Martis excludere; & dicere, quòd Vitriolum Martis ipsis subrogari possit.

CAPUT XII,

de Mercurio sublimato.

Cùm *Augustani* pro Mercurij sublimatione vitriolum calcinatum unà cum aliis rebus adhibeant, *Zvelferus* ita esse illud calcinandum, animadvertit, ne suo corrosivo acido spiritu privetur. Idem verò, tacente etiam *Zvelfero*, *Augustanos* probè cognitum habuisse, *pag. 543. Pharmacop. Augustan. Restit.* regessi. Causam moniti illius *pag 159. apolog. adversus Tacken. Zvelferus* consignat, scilicet ne colcothar citiùs salis spiritus absorbeat, antequam mercurium attingant, unde hic pro majori parte vivus tantùm in sublimatione postea adscenderet. Sed posito, rem ita se habere, spiritus salis tamen, à colcothare absorptos, in illo non figi, sed, igne puta impulsore, cum mercurio & reliquis non absorptis salinis particulis, elevari, respondi; miratus interim, *Zvelferum* ipsum *Mantiss. spagyr. pag. 351.* pro altero Sublimato corrosivo conficiendo capitis mortui vitrioli parum addere; siquidem istud parum aliquid etiam spiritus acidi absorbeat, nec, quantum propriè parum illud esse debeat, sollicitus aliàs Reformator determinet. Verùm hîc *Dn. Frider. Hoffmannus*, justo adhuc stare talo *Zvelferi* censuram,

pag. 273.

pag. 273. declarat; cùm 1. ejus verba directa ſint ad moderatam, & non totalem, ubi penitus penitusq́ue ſuo corroſivo, acido ſpiritu vitriolum privatur, calcinationem; in moderata enim partem ſpirituum ſalis non ita figi, ut non cum mercurio & reliquis vitrioli acidis particulis elevari poſſit, in perfecta autem ſpiritus ſalis acidos abſorberi & coagulari, antequam mercurium attingant, ut mercurius vivus in ſublimatione absque ſalibus adſcendere cogatur. 2. Licet ipſe parum capitis mortui vitrioli addat, particulas tamen ſalinas acidas ibidem ſuperare parum illud colcotharis, ut ita facilè cum mercurio ſublimari queant. Aſt nondum ſufficienter ſic vindicatus eſt *Zvelferus*. 1. Fruſtra vitrioli inter totalem & moderatam calcinationem differentia inculcatur; de hac enim *Zvelferum* loqui, nemo unquam negavit. Hoc quidem oppoſui, quòd ſpiritus ſalis à colcothare (videlicet ſi illud ad ſublimationem adhiberetur,) abſorpti, in eo non ita figerentur, ut non cum mercurio & reliquis particulis acidis iterum elevari poſſit. Idq́; adhuc urgeo. Si enim ſpirituum acidorum tanta cum colcothare eſſet unio, ut à fortiori calore, qualis in hac ſublimatione requiritur, non denuo ſepararentur, quomodo aliàs è vitriolo ſpiritus elici poſſet? Nec major ſalis ſpiritui in vitrioli mortuum caput, quàm in mercurium eſt impetus; tam promtè enim mercurium attinget, atque colcothar invadere potis eſt.

2. Si parum illud colcotharis à ſalis ſpiritus parte aliqua ſaturatur, & quidem antequam mercurius à reliqua ejus parte attingitur, quem uſum ſingularem colcothar præſtet, non video, niſi fruſtraneam & colcotharis, & particulæ ſpiritus ſalis deperditionem. Colcothar etiam, ſic acido ſalis ſpiritu ſaturatum, ſi quid præſtaret, annon curioſitatis nimiæ, quam aliàs in *Auguſtanis* perſtringit, reus evadit *Zvelferus*, dum & vitriolum extremè calcinatum, ſive acido ſpiritu privatum, mox tamen denuo

denuo ſaturandum, & inſuper moderatè calcinatum, ſive acido ſpiritu prægnans, huic proceſſui adcommodat; nam præter colcothar, vitriolum etiam ad flavedinem calcinatum in illo ponitur?

Salinas quidem acidas particulas ſuperare parum illud capitis mortui vitrioli, extra controverſiam eſt; ſed quæritur jam: annon & illæ ipſæ acidæ particulæ à dicto capite mortuo abſumtæ, ad mercurium ſolvendum ac ſufficienter ſaturandum, requirantur? Requiri autem illas, dicendum eſt, ſi prior mercurium ſublimandi modus Zvelferianus ſit genuinus, in quo nimirum, præterquam quod mercurij libræ duæ in aqua forti ſolutæ addantur, vitrioli ad flavedinem calcinati, & ſalis communis ana libræ duæ, nitri libra una ponuntur. Præſenti autem ſecundo modo ſimiliter libris duabus mercurij, corroſivo aliquo ſale nondum ſoluti, præter vitrioli ad flavedinem calcinati libras duas, & nitri libram unam, ſalis tantùm libra una accedit. Unde vel in priore quantitatem ſalis nimiam, vel in altero proceſſu eandem juſtò parciorem eſſe poſitam, conjicio. Quanquam ſi *Zvelferi* animadverſio, *Auguſtanis* ſcripta, ritè ſe habeat, potius hoc dicendum veniat.

In *Diſpenſatorio* enim *Auguſtano* mercurij, vitrioli calcinati (intelligitur: moderatè calcinati) & ſalis communis ana libra una pro conficiendo Mercurio ſublimato adhibetur. Et tamen *Zvelferus* in Eos ſic animadvertit: *Quantitas præſcripta Vitrioli & Salis non ſufficit, præſertim ſi corroſivus (uti ex ſeq. dulci ſubl. apparet) reddi debeat Mercurius; neceſſum igitur eſt, ut non ſolùm pondus eorum dupletur, ſed & ſublimatio Mercurij, additis ſemper recentibus ſpeciebus, Sale ſcilicet & Vitriolo, bis tervè reiteretur.* Jam ſi *Zvelferi* dicta deſcriptio cum hac animadverſione conferatur, non duplam ſalis, ſed in duabus inſtituendis ſublimationibus anaticam ſaltem ejus proportionem mercurio adponi, obſervatur; quare ſalium

 horum

horum quantitas non sufficeret, cùm tamen corrosivus (uti ex contextu adparet,) reddi debeat. Si ergo non sufficiunt mercurio, quomodo de illis tantum ad colcothar saturandum superabundabit?

Pergit dein *Dn. Hoffmannus*, scribens: *ut sublimatus mercurius commodè in crystallinam elevetur compagem, necessum est, ut non solùm pondus vitrioli & salis dupletur, sed sublimatio sæpius reiteretur, quo sublimatum æquè benè corrosivum fiat, id quòd &c. Schröckio concedimus; at minus hac corrosione, quæ malignam ac deleteriam secum trahit qualitatem, quam si quis in sublimato ex nitro vel aqua forti confecto negare ausit, omni rationi & experientiæ repugnabit.* Quid hic concedat *Dn. Hoffmannus*, obscurum mihi videtur, qui constructionem horum verborum penetrare nequeo, ut adeo errorem aliquem in typis locandis fuisse commissum, suspicer. Cæterùm primò *Zvelferus* vitrioli & salis augmentum deposcit, si mercurius corrosivus reddi debeat; ubi quidem majorem corporum dictorum quantitatem commisceri posse, impugnare nolui, sed cum iis in illa ab *Augustanis* præscripta dosi, mercurium non reddi corrosivum, ita ut à copiosiori demum addito vitriolo & sale evadere debeat corrosivus, negavi, & adhuc pernego.

Dein mercurio, cum nitro vel aqua forti confecto, malignam ac deleteriam qualitatem adsignare videtur, ita ut qui negare eam ausit, omni rationi & experientiæ repugnet. Unde magis ad medicinam adaptari sublimatum judicat, qui solùm cum vitriolo & sale absque additione nitri vel aquæ fortis paratus fuit; & licet ille quoque sit corrosivus, absque malignitate tamen eum esse & noxa, cum per se externè ulceribus sordidis venereis aliisque adfectibus adplicatus, tum etiam ad interna medicamenta, prius dulcificatus, ad usum tractus, sine sanitatis dispendio aut læsione agat, minoreque periculo usui

medico

medico esse posit, quàm simplex dictus ex nitro & aqua forti, qui Venetiis in magna copia paratus ad Nos transfertur. Sed hæc omnia nihil probant. Similia ferè declamantem *Zvelferum* in *Pharmacop. August. Restit. pag. 544. & 545.* refutavi. Jam *Dn. Hoffmanno* ut pariter satisfaciam, mercurio cum nitro vel aqua forti sublimato vim inesse deleteriam, si minùs cautè in usu ejus procedatur, neminem inficias ire respondeo; sed alterum absque nitri vel aquæ fortis accesione elaboratum non æquè esse deleterium, equidem rationes adhuc, juxta cum experientia, desunt; ut adeo unum præ altero, hoc respectu, curiosè eligere, haud sit opus. Malignitatem tamen singularem illi, non verò huic inesse, dubito. Certè si unus, alter etiam absque malignitate haud erit. Aut quænam alia symptomata sinistrum mercurij, cum nitro vel aqua forti sublimati, usum sequantur, quæ non item à reliquo adsumto prosurgant, edoceri cupio.

Fundamentum sanè, quo ista contraria opinio de mercurij illius malignitate nititur, labile admodum est. Namque vitrioli & nitri spiritus per se destillatos esse quidem salutares, sed invicem permistos, uti in aqua forti fit, insalubres ac deleterios evadere, statuitur. Sed unde metamorphosis hæc scitur? quænam causa mirabilis hujus mutationis? Altum ubique de hisce est silentium; nec experientia quidquam hactenus in confirmationem testata fuit. Non desunt quidem exempla gravium symptomatum, ipsiusque mortis, haustam improvidè aquam fortem insequentium, prout *Joh. Schenckius lib. 7. observ. medic. Daniel Sennert. lib. 6. Medic. pract. Phil. Höchstetterus noster decad. 3. cas. 3.* & *Petr. Borellus histor. & observat. medic. cent. 4. obs. 28.* similia recensent; ast incauto potui aquæ fortis illa succesisse, atque à forti corrodendi aquæ stygiæ virtute ortum traxisse, partim etiam remediis corrosionem illam avertentibus fuisse

profligata, ipsæ historiæ loquuntur. Qua ratione nec alij corrosivi liquores, & ipsi vitrioli ac nitri salutares aliàs spiritus innocui sunt, sed eadem symptomata concitare, vitæque filum abrumpere possunt. Periculosum acidi liquoris vitrioli usum *Nicol. Tulpius observat. lib. 3. cap. 43.* imò lethalem *Excell. Dn. Thom. Bartholinus cent. 5. histor. 53.* memorant.

Spiritus nitri salutarem usum *Zvelferus* & *Dn. Hoffmannus* agnoscunt; & tamen aqua fortis, ex vitriolo & nitro destillata, nil nisi spiritus nitri est, cum quo sensuum fide exactè convenit. Unde etiam *Clar. D. Tackenius cap. 7. Hippocr. chim.* spiritum vitrioli in aquæ fortis destillatione non adscendere statuit, & *Excell. D. D. Joh. Joach. Beccherus lib. 1. Phys. subterran. sect. 5 cap. 2. pag. 397.* spiritum nitri & aquam fortem parum inter se discrepare, adserit, subjungens *pag. 398. cum spiritus nitri destillatur, si nitrum purum sit, ex libra nitri libram spiritus accipies, nullo capite mortuo relicto, quod in aquæ fortis præparatione quoque contingit, ubi tantum aquæ fortis accipies, quantum nitri addidisti, nec de vitriolo quicquid amittes.* Imò licet spiritus vitrioli, junctus nitri spiritui, malignus, insalubris ac deleterius evaderet; idem tamen in mercurij sublimatione non contingeret, cùm ille de nitrosa substantia nil participet, prout *Excell. D. Dan. Ludovici in Pharmac. moderno seculo applic.* determinat, ipseque *Zvelferus* tacitè innuit, dum in secunda Mercurij sublimati præparatione species cucurbitæ lutatæ, suo capitello munitæ, immittere, atque vitreum vas recipiens adaptare jubet, *ad excipiendam humiditatem, seu aquam fortem, inter initia destillantem.*

Posse aliàs mercurium absque nitro sublimatum externè & internè, absque sanitatis dispendio aut læsione adhiberi, certum est, sed minori cum periculo eum agere, quàm alterum cum nitro vel aquâ forti factum, ob supra dictas rationes campus dubitandi patet amplissimus. Imò internum quod spectat

usum,

usum, Mercurium dulcem è Mercurio sublimato, Venetiis allato, nec sine nitro elaborato, dextrè paratum, esse innocuum, plures qui usui talem adaptarunt (& sæpius hoc factum, scio,) fatebuntur. Neque externo pro usu eum esse repudiandum, ad ulcera præsertim venerea, sordida, crustosa, aliosque adfectus, maximam eum præstare operam; suasque mereri laudes, ipse *Zvelferus Mantiss. spagyr. pag. 352.* fatetur; Quanquam non tam per se, quàm potius aquis mundificantibus, liquoribus aloëticis, unguentis, emplastris &c. junctus adhibeatur. Plura possunt *Pharmacop. August. Restit. pag. 545.* videri.

CAPUT XIII,

de Antimonio diaphoretico.

QUæ *pag. 539. & seqq. Pharmac. August. Restit.* de Antimonio diaphoretico disserui, impugnare *Dn. Frider. Hoffmannus pag. 302. &c* adgreditur, cujus nunc argumenta singulatim expendere, ordo deposcit.

I. *Zvelferum* in ejus dextra, uti *pag. 460. animadvers.* vocatur, præparatione utilissimum nitri & tartari spiritum per detonationem aperto in vase institutam abigere in auras, objeci, cùm tamen ille, retortæ tubulatæ ope, retrahi à fuga posset. Verùm *quis oleam & operam*, sic *Dn. Hoffmannus* in hanc animadversionem meam commentatur, *perdere vellet, in elaborando clysso ex tam exigui ponderis antimonij* ℔j. *nitri* ℔ß, *& tartari* ℥iij? *Si quis tamen aliàs ex residuo hujus clyssi notabilis ponderis ingredientium antimonium diaphoreticum conficere voluerit, ei integrum erit.* Ubi imprimis notari velim, me non tam aliis, similiter aperto in vase antimonium sic calcinantium, quàm potius soli *Zvelfero* censuram istam dedicasse; ut scilicet admonitionem ipsius de aluminis ustione dextrè, ne spiritus ejus acidus frustra in auras

 abeat,

abeat, in alembico nempe terreo vitreato, peragenda ulteriùs prosequerer. Cæterùm species huic negotio deputatas, in retorta tubulata detonare, esse oleum & operam perdere, mihi persuadere nequeo. Elevari enim spiritus aliquos, (de sulphure antimonij, quod unà sublimatur, nil dicam,) uti extra dubium est: ita, dum prodierunt, oleum & operam esse perditam, dici nequit, imprimis cùm, detonatio, in aperto vase instituta, licet nonnihil breviori tempore fortè absolvatur, altera tamen per retortam facta magnopere laborem haud adaugeat, imò salutarem spiritum largiendo, liberaliter hunc ipsum compenset. Si nihil spirituum proveniret, tunc oleum & operam esse perditam, rectiùs animadverteretur. Ubi verò copiosiorem spirituum proventum quis desiderat, specierum dosin augendo, facilè obtinere scopum potest; præcipuè cùm in unica antimonij libra sæpius pro hac operatione non subsistatur, sed pondus ipsius, & consequenter etiam nitri ac tartari, si hic unà accedat, adaugeatur, ne labor, qui unâ vice absolvi poterat, brevi sit repetendus; idque eò magis, quia hoc medicamentum inter illa locum reperit, quæ per plures annos perdurant.

Cæterùm de aluminis ustione idem *Zvelfero* objici posset; cùm sæpius in exigua quantitate, libram semis non excedente, alumen uri, sive calcinari soleat; prout quoque *Augustani* pondus ejus non determinant, saltem, *quantum volueris*, urendum esse, innuentes; *Zvelferus* tamen in alembico terreo vitreato hoc peragi posse, in genere admonet.

Imò posito, benè sic defendi *Zvelferum*; quid verò cum ejusdem *Regulo antimonij simplici*, quem *pag. 364. Mantiß. spagyr.* describit, fiet? ubi ad libram unam & dimidiam antimonij, ana libram unam nitri & tartari adhibet, inque aperto igne detonationem absolvit; quæ eadem nitri & tartari quantitas in dicto comuniter Clysso, ex iisdem ingredientibus composito, præscri-

præſcribitur. Conferatur *Magnif. D. Guerner. Rolfincius in Chim. in artis formam redact. libr. 3. ſect. 2. artic. 1. cap. 24.*

Quamvis nec in præſenti Antimonio diaphoretico *Zvelferi* tam exiguum tartari & nitri pondus poni, ſi benè res expendatur, dici debeat. Antimonij enim libræ, tartari itidem libra una, & nitri libræ duæ accedunt. Namque antimonij detonatio, novo ſemper addito nitro & tartaro, ter reiteratur. Omnis itaque illa ſpecierum pro quatuor detonationibus neceſſariarum quantitas ſi jungatur, & unicâ (ſiquidem non minùs efficax ita evadit medicamentum; ut partita illa & toties reiterata detonatio labori ſaltem augendo inſerviat) vice in retorta tubulata detonetur, oleum & operam perdi, nequaquam ampliùs dici poteſt.

II. *Zvelferus* prunis ardentibus, crucibulo injectis, ſpecies illas inſpergere, docet, quod inconcinnum eſſe, cenſui; cùm potius crucibulo prunis ardentibus impoſito, inſpergendæ ſint. Verùm, ſi benè laboraveris, utrumque modum ſuccedere, *Dn. Hoffmannus* regerit. Succedere poſſe *Zvelferi* modum, non contradico; inconcinnum tamen quid nihilominus in eo deprehendo. Non enim video, quid laudabile à carbonibus crucibulo injectis ſperari queat, niſi ut cinere inutili, ſi toti deflagrent, Antimonium diaphoreticum inquinent; ſin toti non deflagrent, pulviſculo ſuo nigro facilè diaphoretici hujus pulveris candidum colorem defœdare poſſunt.

Aliàs carbonibus, crucibulo injectis, quòd ſpecies inſpergantur, à quoquam alio ſcriptum vel obſervatum fuiſſe, non recordor. Materiam quidem crucibulo, mortario &c. immiſſam, admoto carbone ardente accendere, ſicq; calcinare, nonnullos conſueviſſe, ſcio; ſed illud huc non ſpectat.

III. Aquæ, pro edulcoratione Antimonij diaphoretici adhibitæ, præter ſalia, non exiguam Antimonij diaphoretici

utilis

utilis partem ineſſe, eamque à *Zvelfero*, dum non perhibet, cuinam inſervire uſui debeat, vel planè abjici, vel ſaltem præfato medicamento diaphoretico non conjungi, notavi. Aſt nullum eſſe dubium, reſpondet *Dn. Hoffmannus*, *Zvelferum* non abjeciſſe nitrum antimoniatum, ſed vel pro ſingulari uſu reſervaſſe, vel pro neceſſitatis ratione Antimonio diaphoretico denuo immiſcuiſſe. Incerta cùm hæc ſint, tranſeant. Quidquid tamen cum hoc egerit, vel agi voluerit *Zvelferus*, decuiſſet ſanè ipſum, in minimis aliàs notandis nimiùm curioſum, illud edocere, ne fortè inutiliter profunderetur; imprimis cum paucos inveniri ſedulos & peritos Pharmacopœos, in *Extractorum animadverſionibus* exclamet.

IV. *Zvelferus* Antimonium diaphoreticum jam paratum, per duas vel tres horas denuo igni committit, ut majorem fixitatem & vim adſtrictivam ipſi conciliet. Majorem hoc modo vim adſtrictivam medicamento huic conciliari, quòd non benè dicatur, objeci; cùm non adſtrictiva, ſed reſolutiva potius in eo deſideretur; unde etiam ad ſudorem pellendum in uſum trahatur. Verùm arti medicæ nullum inferre abſurdum, à *Dn. D. Hoffmanno* regeritur, unum idemque medicamentum pro certo reſpectu adſtringere & ſimul etiam aperire ac ſudorem pellere; quod nonnullorum medicamentorum exemplo probat, & quomodo Antimonium diaphoreticum agat, prolixè deducit. Mihi ſolùm notare libet, quòd nunquam dubitaverim, dari medicamenta, quæ & aperiendi & adſtringendi vires poſſideant; neque etiam, quòd diaphoreticus hic pulvis adſtringere quandoque poſſit; ſed innuere tantùm volui, non tam adſtrictivam virtutem, quàm reſolutivam & diaphoreticam in eo expeti, unde quoque nomen fuit ſortitum; & communiter non tam ad aſtringendum, quàm potius ſudoris expulſionem præſcribi & adhiberi. Idcirco magis à potiori ac

notiori

notiori ratio petenda fuisset. Hinc ipse *Zvelferus* Antimonium diaphoreticum, si aëri exponatur, aut diu adservatum fuerit, cum tempore ad genium pristinum redire, *pag. 96. Pharmacop. Reg.* scribit, adeo ut parva in dosi exhibitum, pro *diaphoresi* conciliianda, cor potius adficiat &c. Et *Mantiss. spagyr. pag. 367* eundem pulverem, auri accessione cariorem redditum, in crucibulo tribus vel quatuor horis igne aperto moderatè calcinare præcipit, ad majorem fixitatem & vim *sudoriferam* & alexipharmacam ipsi conciliandam.

Utrùm verò majorem fixitatem & virtutem denuo ita calcinatum adquirat, meritò dubitatur? Sufficit, quòd satis fixum & efficax, absque illa repetita calcinatione, esse, experientiâ certi reddamur.

V. *Zvelferus* tartari additionem pro antimonij hujus præparatione utilem censet. Carere tamen eâ facilè nos posse, animadverti; quia 1. cum solo nitro paratum non minùs efficax existat. 2. à tartaro cineres aliqui ipsi commisceantur. Verùm quoad prius, experientiam contradicere, *Dn. Hoffmannus* objicit; qua constet, illud cum tartaro paratum majorem vim adstrictivam & fixitatem nancisci, atque illud cum nitro solùm elaboratum. Cineres autem, si qui commisceantur, à nitro deflagrante consumi, & à sulphure antimonij absorberi. Sed 1. quæ experientia ista sit, & quomodo experimenta, è quibus illa tandem orta, fuerint instituta, nescio. Taliter quidem, cum tartaro scilicet, paratum, esse medicamentum salutare, efficax & tutum, ab experientia fuisse comprobatum, minimè contradixi. Ast salutarius illo, cum solo nitro elaborato, sic evadere, persuadere mihi non prius possum, quàm id clariùs demonstretur.

2. Commisceri à tartaro emortuam terram sive cinerem, negari nequit, nec *Zvelferus* ipse negavit; hunc verò à nitro non

consumi, videbitur, modò quis tartarum nitro permixtum detonationi committere velit; ex impetrata enim massa post salis elixiviationem, eadem terra, à nitro non consumta remanebit. Sin ab antimonij sulphure absorbeatur, vel corpusculis Antimonij diaphoretici, à quibus discerni ob utriusque albedinem nequit, permisceatur, cùm terra sit emortua, nec aliquem usum hîc præstare valeat, rectiùs non adjungitur; quod fiet, si tartarus omittatur; præsertim ubi purum medicamentum desideratur.

VI. Cùm partes crassiores, in edulcoratione pulveris nostri fundum citò petentes, abjicere *Zvelferus* præcipiat; pulvis autem hic effœtus non sit, subsecuturæ alteri alicui Antimonij diaphoretici præparationi reservari eum posse, animadverti. Ubi *Dn. Hoffmannus* judicat, si partes crassiores purè antimoniales sint, nec sordibus scateant, exiguum ex his oriri dispendium; per se tamen licere vel reservare easdem, vel secus; si autem impuræ fuerint & sordidæ, quivis sanè, addit, abjiciet. De impuris, quòd abjiciendæ sint, controversiam illam non volui movere, sed de puris antimonialibus; præsupponens, eum, pharmacum hoc qui paraturus est, omnia nitidè, ut decet, esse peracturum. Et quanquam hæ magna in copia fundum non peterent, paucas tamen istas colligere & reservare, uti facillimo labore fieri potest: ita abjicere easdem non licet, si quis vel exiguum etiam damnum, *Zvelferi* ad exemplum, præcavere velit.

VII. Sinistrum vocavi *Zvelferi*, præceptam ab *Augustanis* filtrationem perperam institui, animadvertentis judicium, quod nempe verum Antimonium diaphoreticum per chartam non transeat. Siquidem *Augustani* probè norunt, pulverem antimonij diaphoreticum, post massæ calcinatæ edulcorationem oculis se offerentem, per filtrum non, subtiliorem tamen ejus partem,

partem, falibus folutis junctam, tranfire, quæ dein tractu temporis fponte fubfidet, atque ab aceto deftillato in fundum agitur. Verùm 1. *Zvelferi* in *Auguftanos* cenfuram jufto adhuc ftare talo, *D.Hoffmannus* exiftimat; cùm revera calens decoctum per filtrum effe transmittendum, & loco frigido relinquendum, ut id, quod fubtilius, folvatur, tandemque in pulverem albicantem præcipitetur &c. Ipfi præcipiant. *Si enim*, pergit, *hæc vera ipforum non effet mens, cur adderent, quod fi acetum deftillatum immittatur in idem decoctum filtratum, facilius & celeriùs pulvis ifte cadit majorum virtutum : Ubi differentiam faciunt inter pulverem illum, qui fponte fubfidet, (nec alterius mentionem faciunt, qui per filtrum non tranfit,) & eum ab aceto deftillato præcipitatum.* Aft tanti roboris hæc non funt, ut vacillantis *Zvelferi* judicium fulcire fufficienter queant. Minimè negatur, *Auguftanos* pulveris Antimonij diaphoretici, qui filtrum non penetrat, fpecialem mentionem haud feciffe, fed illiùs folùm, qui chartam bibulam tranfit; non quòd omnem chartæ poros fic permeare, aut partem, quæ permeat, Antimonium diaphoreticum faltem effe, crediderint, fed potius, ut partem ejusdem fubtiliorem, quæ vel feparatim adfervatur, vel etiam reliquo poftmodum permifcetur, quoque adquirerent. Unde notanter addunt : per ebullitionem id quod fubtilius (non omnis materia calcinata & coctioni commiffa) in aqua folvitur, & tandem (poft filtrationem) præcipitatur. Illud enim fubtilius, quod folvitur, aliud fupereffe, indicat, quod non æquè fubtile, nec folutioni huic aptum exiftit. Specialem verò hujus mentionem quòd non faciant, ideo fieri verifimile eft, quia fponte oculis fefe exhibet, atque vulgare effe Antimonium diaphoreticum, Ipfis quoque in ufum vocari folitum, jam antea eft notiffimum; cùm econtra alter ille fubtilis pulvifculus non æquè oculos incurrat, nifi ulterior ipfi manifeftando opera locetur. Differentiam

itaque faciunt: 1. inter pulverem illum non adeo ſubtilem, nec in aqua cum ſalibus ſolubilem, aut chartam emporeticam permeantem, utilem tamen; 2. qui hanc tranſit, ſubtiliorem & ſponte ſubſidentem; ac 3. ab aceto deſtillato præcipitatum; qui duo tamen pro uno eodemque habentur; unde ſecundum illum faciliùs & celeriùs in fundum cadere, ſcribunt, ſi decocto filtrato acetum deſtillatum infundatur.

2. Subtiliorem hanc partem per acetum deſtillatum præcipitatam toto cœlo differre ab illo pulvere, qui filtrum non transit, objicit *D. D. Hoffmannus*; cùm alia ſit ejus partium textura & figura aquæ poros implentium, plus de ſulphure antimonij, quàm nitro participantium, alius etiam ejus ſit effectus, dum in copia adſumtus à ℈ß. ad ʒß. vomitum cieat, imò in omni non reperiatur aqua, ab Antimonio diaphoretico ſeparatâ, imprimis ſi ſulphur antimonij cum nitro juſtò deflagravit, parum vel nihil ejus adquiri, præſertim non calidâ, ſed frigidâ adhibitâ aquâ fontanâ. Adeoque calcem hanc nihil aliud eſſe concludit, quàm mutilum ſulphur antimonij, quod nitri actiones fixativas ſubterfugit, & in poros aquæ ſeſe inſinuavit; illum autem pulverem, qui filtrum non tranſiit, optimum eſſe Antimonium diaphoreticum, cujus virtus non tam à ſulphure antimonij, quàm nitro, quod abunde in antimonio figitur, ut ponderis incrementum edocet, dependeat. Differre aliquo modo pulveres jam recenſitos, non eſt dubium, ſed quòd toto cœlo differant, non conſentio.

Aliàs *1.* quæ hujus vel illius ſit partium textura & figura, ob quam inter ſe diſcrepent, me non intelligere, fateor, cupidus eam edoceri.

2. filtrum tranſientem pulverem plus de ſulphure antimonij, quàm nitro participare, concedo; idem tamen de reliquo pariter, in filtro qui reſtitat, eſſe prædicandum, exiſtimo;

impri-

imprimis cùm antimonij medicamento huic deputata doſis, poſt abſolutum calcinationis &c. laborem, nonnihil quidem in pondere adaucta reſultet, neutiquam verò eousque adſcendat, ut nitri plus, quàm antimonij, ineſſe dicere liceat, cùm aliàs v. gr. antimonij crudi libra una, diaphoretici libras duas &c. ſuppeditare deberet; quod non eſſe ſperandum, ipſa αὐτοψία edocet.

3. Effectu inter ſe differre, itidem non contradico; non quòd ſubtilior iſte pulvis, loco virtutis diaphoreticæ, emeticam vim poſſideat; ſed quòd altero illo præſtantior ſit, cùm in minori doſi eundem effectum largiatur. Vomitum quandoque poſſe uſum ejus inſequi, non diffiteor; ſed tunc & ille in filtro remanens pulvis eidem culpæ foret obnoxius, ſi ſcilicet ritè non fuerint præparati, aut aliam ob cauſam nauſea vel vomitus fortè ſuperveniat. Aliàs ſine vomitus metu aut periculo tam hunc, quàm illum agere, per plurima experimenta compertum habemus.

Quin ſi magiſterium hoc culpari & eliminari meretur, certè *Antimonium diaphoreticum tartariſatum, pag. 307.* à *D. Hoffmanno* deſcriptum, eidem periculo eſt expoſitum; quod enim ſal tartari ab Antimonij diaphoretici ſulphure in calcinatione arripuit, illud per adfuſum vitrioli ſpiritum præcipitatur. Et tamen diaphoreticam, aperitivam & diureticam vim habere, ſicque præſtans eſſe medicamentum, conceditur.

4. Mihi hactenus pulverem iſtum ex aqua ſeparare, ſemper licuit. Aliis contrarium contigiſſe, præfractè non nego; ſi v. gr. frigida aqua, vel copioſa maſſæ adfuſa, aliquandiu ſupra hanc ſteterit, pulverem non præcipitari poſſe, eſt credibile; prout etiam ſi acetum deſtillatum immittatur, atque ab illo non ſtatim deſcendere pulverem quis videat, nihil planè amplius præcipitatum iri, fortè poſſet credere; cùm tamen, ſi re-

 ponatur,

ponatur, ſenſim ſenſimque ſubtiliſſimus pulviſculus compareat atque ſubſideat.

Utrùm virtus Antimonij diaphoretici non tam ab antimonio, quàm nitro dependeat, certi quid determinare, difficile admodum erit. Mihi, ab utroque ſymbolum aliquod conferri, credibile videtur. Licet enim de nitro inibi quid figatur, ei ſoli propterea virtus omnis, vel ſaltem potior ipſius pars, adſignari haud poteſt.

VIII. Denique in illo, quod de medicamine hocce, naturam priſtinam tractu temporis readſumente habet, à *Zvelferi* partibus recedit, mecumque, per plures annos absque ulla noxa, ſi ritè præparatum fuerit, ægrotis propinari id poſſe, conſentit.

CAPUT XIV,

de Lacte ſulphuris.

DE Magiſterio, ſive Lacte ſulphuris hanc *Zvelferus pag. 450. animadverſ.* fert ſententiam: *ut ab aliorum Magiſteriorum præparationibus parùm aut nihil differt: ita nullam præ iis ſingularem meretur laudem.* De aliorum autem indigitatis præparationibus judicat, quòd reddant calces emortuas, inutiles & inſolubiles. Qua in re diſſentire à *Zvelfero*, æquum fuit, videlicet Lac ſulphuris non eſſe calcem inutilem, aut non ſolubilem. Sed *Cl. Zvelferus l. c.* ſic *Dn. Fridor. Hoffmannus pag. 372.* objicit, *non ita loquitur, ac ſi omnes omnino virtutes huic lacti derogare velit, ſed hoc ſaltem dicit, quod vel crudum ſulphur vel ipſius flores ſublimati longè majoribus virtutibus polleant, quam hoc ipſum lac ſulphuris tanto labore comparatum.* Verum eſt, *Zvelferum* in *Mantiß. ſpagyr.* cautiùs proceſſiſſe, & ſulphur pro maxima ſui parte ſaltem deſtrui in hac operatione, notaſſe; prout idem *pag. 517. Pharmacop. Auguſtan.*

gustan. Restit. fideliter monui; sed quòd *loco cit.* nempe *pag. 450. animadvers.* diversam ab hac sententiam foveat, ex adductis modò ejus verbis demonstravi, & contra illam quoque decertavi. Tunc itaque, ubi *Augustanos* reformandos sibi proposuit, Lac sulphuris parum aut *nihil* ab aliorum Magisteriorum præparationibus differre, & consequenter etiam aliam, quàm hæc, non mereri laudem, id est, esse calcem emortuam, atque inutilem, animadvertit; postea verò, ubi fervor ille in *Augustanos*, cùm ultima *Pharmacopœjæ Regiæ* editio adornaretur, nonnihil fortè deferbuit, magis consentanea veritati utique scripsit, dum non totaliter destrui, sed partem aliquam viribus salvam remanere, concessit. Rectè igitur animadversioni Zvelferianæ in *Dispensatorij Augustani* Lac sulphuris prolatæ me contradixisse, inconcussum manet.

Nec saltem, quòd vel crudum sulphur, vel ipsius flores longè præpolleant Lacti tanto labore comparato, *Zvelferus* in animadversionibus suis scribit; sed parum vel *nihil, nihil,* inquam, ab inutilibus jam reputatis Magisteriis Lac istud differre, unà animadvertit.

Præterea sulphuris Magisterium vix tertiâ sui parte sulphur, reliquas autem duas calcem emortuam atque inutilem esse, ex sublimatione ejus elucescere, cum *Zvelfero, Dn. Hoffmannus* adserit. Sublimatione quidem vix tertiam partem elevari, cùm eam nunquam tentaverim, haud negabo; in memoriam tamen unà revoco, quod *Dn. Hoffmannus pag. 657.* de cornu cervi usto, ex quo nullum sal volatile, à quo aliàs cornu cervini virtutes dependere creduntur, destillatione vel sublimatione elici potest, hunc in modum eloquitur: *Licet particulæ salinæ cum sulphureis videantur destructæ, tamen nihil obstat, alia enim est ignis, alia Archéi stomachici est operatio cum remedij adaptatione, quam nullus intellectus humanus satis assequi potest.* Sic licet sulphur in

ejus

ejus lacte parando videatur destrui, dum scilicet sublimatione non totum postea adscendit, nihil tamen obstat; alia enim est ignis, alia Archei stomachici operatio &c.

Cæterùm præter illam traditam sublimationem, *Zvelferus* quoque Lactis istius, simpliciter saltem Vulcano commissi, unam tantùm partem absumi, (quod tamen *Dn. D. Hoffmannus* silentio præterit,) duas verò remanere, inquit; id quod *pag. cit.* negavi, experimentis utpote contrarium edoctus; remanet scilicet à combustione pulvisculus, (prout à crudi sulphuris combustione aliquis etiam reperitur,) tertiam tamen partem Lactis sulphurei, combustioni traditi, multò minùs duas tertias, haud adæquat; sic ut maxima pars, crudi instar sulphuris, deflagret; atque ita duæ tertiæ in Lacte sulphuris pro calce destructa & effœta neutiquam venditari queant. Plura videri possunt in *Pharmacopœja Augustana Restituta.*

CAPUT XV,

de Coriandro præparato.

Coriandrum qua ratione nocere queat, *pag. 425. &c. Pharmacop. Augustan. Restit.* explicatum fuit; quod propriè sic dicta inter venena à *Zvelfero* referri, ut adsererem, nunquam in mentem venit. Prout etiam qualitatem ejus noxiam arescentiâ emendari posse, & cur, ac quomodo semen hoc præparetur, nec non quid de *Zvelferi* in istam præparationem animadversione statuendum sit, ibidem exposui. Sed *Dn. Hoffmanno* iterum à *Zvelferi* partibus hîc stare, *pag. 453.* libuit; licet divortium ab eodem facere, mihique aliquantum adstipulari non planè recusaverit; *Zvelferus* enim *animadvers. pag. 410.* in illa ab *Augustanis* tradita præparatione, *totam* coriandri vim carminativam & balsamicam unà cum aceto exhalare, censet;

quod

quod falſum eſſe, judicavi, aliqualem ſolùm virium jacturam fieri, concedens; *Dn. Hoffmannus* autem *potiore* (non *totâ*, quod *Zvelferus* vult,) ſuâ virtute carminativâ & ſpirituosâ ſpoliari coriandrum, ſtatuit.

Fundamentum verò hujus ſententiæ, quod producit, per mechanicam nempe experientiam edoceri poſſe, partes oleoſas, volatiles, ac ſpirituoſas ab aceto figi, & in aliud ens traduci, quomodo ritè explicare, ac *Domini Autoris* mentem adſequi poſſim, hæreo. Interim partes oleoſas, volatiles ac ſpirituoſas vegetabilis hujus ita ab aceto figi ac transmutari, haud exiſtimo, ut nativæ ejus virtutes unà ligentur, ac virtutem ſuam amittant; quia aliàs pari jure *Aceta medicata*, rebus oleoſis, volatilibus ac ſpirituoſis imbuta, rejici deberent; cùm tamen nativas vegetabilium horum infuſorum virtutes ſalvas inibi manere, & Practicorum experientia teſtetur, & ipſe *D. Hoffmannus Aceta medicata* non rejiciat, imò *pag. 381. Meth. med. Acetum antipeſtilentiale* egregiè commendet.

Sed omnium optimè coriandrum debitè, modicâ ſcilicet cum aceti quantitate, & leni calore præparatum, ſeipſum defendit; cùm & odore & ſapore, naribus ac linguæ fidem de olei balſamici præſentia ubertim faciat.

CAPUT XVI,

de Scillæ præparatione.

De radicis ſcillæ præparatione *Zvelferi animadverſ. pag. 219. & Pharmacop. Auguſt. Reſtit. pag. 449.* conſulere, *Dn. Hoffmannus pag. 547.* præcipit, addens: *in quo tamen ſententiarum diſtrictu primas Cl. Zvelfero ſemper deferimus, quia hâc in clibano cum maſſa panis factâ coctione non poteſt non Scilla nativâ ſuâ humiditate, h. e. ſale volatili ſpecifico innato privari, reſiduis partibus terreſtri-*

bus amaris; *quicquid contra regerat Schröckius*, *non tamen ſatisfacit*. Mihi, de ſcillæ præparatione non tantùm *Zvelferi animadverſ. pag. 219.* ſed etiam *pag. 419.* & præter *Pharmacop. Auguſtan. Reſtit. pag. 449.* ejusdem quoque *pag. 200. &c.* evolvendas eſſe, monere libet. Qua ratione autem, & quo jure primas hoc noſtro incertamine ſemper *Zvelfero* deferat *Dn. Hoffmannus*, jam diſpiciam, & argumentorum meorum præcipua, cùm nimis generaliter ac nudè objiciat, me non ſatisfacere *Zvelfero*, quidquid regeram, breviter ruminabo.

1. *Zvelferus* ſcillæ præparationem non neceſſariam eſſe putat, quia *Galenus* ſuccum ſcillæ, diebus canicularibus exceptum, in *Lohoch de ſucco ſcillæ* recipiat, non verò ſuccum ſcillæ aſſatæ. Reſpondi: *1.* Scillæ præparationem non tanquam adeo neceſſariam, ſed tot ſeculis uſitatam, ſimulque ſalutarem, *Auguſtanos* tradere. *2.* Succum ſcillæ crudæ non excludere uſum præparatæ; & ſic *3. Galenum*, ſi crudam in *Lohoch de ſcillæ* adhiberet, aſſatam tamen etiam uſurpaſſe. *4. Galenum* tamen non crudam, ſed præparatam pro dicto medicamento adhibuiſſe.

2. *Zvelferus* neceſſitatem hujus præparationis negat, quia paſta, in qua ſcilla fuit aſſata, non ſit venenata. Sed præparationes medicamentorum non ſoli venenatæ qualitati ſimplicium medicamentorum deſtinari, verùm inſtitui quoque alium in finem, regeſſi.

3. Scillam exſiccatam admodum in pondere diminui, cùm nativâ ſuâ humiditate ſic ſpolietur; hinc etiam totali ſuâ eſſentiâ & ſubſtantiâ privari, ut nil niſi viribus exhauſtæ membranulæ remaneant, *Zvelferus* objicit. Concentrari per exſiccationem iſtam ſcillæ virtutem, humiditate ſcilicet aqueâ ablatâ; membranulas autem remanentes, totali ſuâ ſubſtantiâ ſcillam non eſſe privatam, indicare; ſaporem quoque acrem nonni-

nonnihil & amarum in exſiccatis membranulis ſuperſtitem, non omnibus has exhauſtas eſſe viribus, docere; nativam inſuper humiditatem, quæ ſeparatur, proximè ad elementaris aquæ naturam, narium judicio, accedere repoſui.

4. *Zvelferus* ſcillas marinas Italicas mordacitate & exurente malignitate eſſe præditas, notat; quæ mordacitas præparatione hac ex parte diminuatur. Cùm verò *Auguſtæ* utplurimum ſcillis marinis, Venetiis huc delatis, utamur, ideo rectè *Auguſtanos* earum præparationem tradidiſſe, concludi.

5. Licet *Zvelferus pag. 219. animadverſ.* ſcillas nativâ ſuâ humiditate ſpoliari, viribus etiam planè exhauriri in præparatione iſta, tradat, *pag.* tamen *419.* per ſcillæ præparationem, ejus mordacitatem, à qua virium originem deducit, ex parte diminui, non verò totaliter auferri, ſcribit; ipſe etiam ſcillam præparatam *pag. 4 7. 108. & 111. Pharmacop. Reg.* medicamentis ſuis adhibet. Unde ſi hæc de ſcillæ præparatione vera ſint, ſcillam exſiccatam, viribus non eſſe planè exhauſtam, contra *Zvelferum* concludo.

Quàm pauca verò *D. Hoffmannus* pro *Zvelferi* ſic reformati partibus defendendis proferat, paulò ante adducta ipſius verba ſi conferantur, facilè patebit. Unde meis objectionibus nondum eſſe ſatisfactum, regerere teneor.

Nunc *Domini Hoffmanni* rationes, ob quas *Zvelfero* primas in hoc certamine ſemper defert, parumper intueamur: 1. hac in clibano cum maſſa panis coctione ſcillam non poſſe non nativâ ſuâ humiditate privari, objicit. Aſt ſcillam maſſæ panis incluſam, poſt coctionem in clibano factam, ſatis humidam eſſe, obſervatur, ipſeque *Zvelferus* in *Trochiſcorum de ſcilla examine* fatetur; quæ humiditas, licet aliquid de maſſa prædicta accedere ipſi queat, majori tamen ex parte ſcillæ debetur. *Zvelferus* itaque dum ſcillam in præparatione ſpoliari nativâ ſuâ humidi-

miditate, urget, non de illa in clibano ſaltem cocta, ſed poſteà etiam exſiccata loquitur.

2. Nativam humiditatem *Dn. Hoffmannus* ſal volatile ſpecificum innatum interpretatur. Sed præterquam quòd nativa ſcillæ humiditas & ejus ſal volatile non ſint eadem; cum humiditate tamen illa aquea ſalis volatilis aliquam fieri jacturam, (modò herbaceus propemodum odor ille, quem ſolum, absque alio, ſalis volatilis præſentiam arguente indicio, in aquâ, ex ſcilla recenti, dum hæc ſcribo, deſtillatâ obſervavi, ſal volatile dici mereatur,) non ibo inficias; quod tamen perpaucum eſſe, ſuperiùs monui.

Accedit, quòd ſcilla præparata ſive exſiccata, ſi aquâ ſuperinfusâ deſtilletur, hanc odore pariter herbaceo imbutam dimittat, ſicque clarè ſatis teſtetur, non omne ſuum ſal volatile in priori exſiccatione fuiſſe ablatum.

Imò ſcilla præparata ſi comburatur, inque cineres redigatur, ab hiſce, ubi deguſtantur, mox lingua, ob ſal ipſis inhærens vellicatur; atque hoc idem ſal elixiviatum cum acidis efferveſcit; Adeoque ex his fundamentis ad alcalium fixorum claſſem referri meretur. Jam verò alcalia fixa ex ſale volatili & acido per ignem produci, *Dn. Hoffmannus* cum *Helmontio* aliisq; ſtatuit. Si itaque è ſcilla exſiccata vel præparata alcali fixum educitur, ſal volatile in ipſa præexſtitiſſe, utique concedi debet. Ut alia, quæ hujus volatilis partis præſentiam demonſtrant, jam ſilentio prætercam.

Neque etiam ob humiditatis illius ſeparationem, ſcillæ præparatio, vel exſiccatio culpanda ac planè rejicienda eſt; cùm aliàs vix ullum aliquod vegetabile, imprimis quod eſt aromaticæ naturæ, fragrantique odore pollet, exſiccari deberet, quia nonnihil ſalis volatilis, vel partis ſpirituoſæ, ceu odor exhalans teſtatur, tali ratione amittitur; quam tamen exſiccationem

tionem nemo hactenus, neque *Dn. Hoffmannus*, improbavit, aut non commendavit.

3. Sal volatile specificum innatum amitti, residuas verò partes terrestres amaras esse, *Dn. Hoffmannus* scribit; ubi quidem, si pariter *Zvelfero* primas deferat, has partes terrestres amaras viribus exhaustas esse, statuere tenetur; cùm tamen non destitui eas viribus, per experientiam hactenus innotuerit. Videturque, ab amara hac scillæ qualitate vim ejus agendi non parùm proficisci, utpote cujus ratione incidendi & aperiendi virtutes, in scilla præcipuè prædicatas, exserit. Et palato ingrata illa amarities si effœta viribusque vacua existit, malè cum ægrotis, aliàs utplurimum medicamenta fastidientibus, agitur, quòd diversis in medicamentis hæc ipsis exhibeatur, & non potius separata tantùm humiditas, quæ sal volatile esse debet; relicto sic effœto, nauseoso, amaro corpore, propinetur. Absinthij &c. partes terrestres, amaras, non inutiles censet cum *Zvelfero Dn. Hoffmannus*; cur ergo similes in scilla occurrentes solùm effœtæ & inutiles sunt reputandæ?

CAPUT XVII,
de Opij correctione.

TAndem in *Zvelferi* tutelam de noxia opij qualitate quod profert *Dn. Hoffmannus*, meo quoque examini opponere videtur, dum venenum sive virus opij, quod tostione evanescere *Zvelferus* voluit, negavi. Sic autem *Dn. D. Hoffmannus pag. 593.* de fermentatione opij cum succo cydoniorum agens, scribit: *Ubi, si quis corpori humano noxiam qualitatem opij ex sulphure ejus volatili ac fœtido emanantem forsan in dubium vocare velit elaborando hunc processum proprio expertus damno, cautior in posterum in contradicendo & refutando Cl. Zvelferum fiet.* Ubi itaque hac in materia contradixerim, & quomodo *Zvelferum* refutaverim, ne-

 cessum

cessum est, ut aliqua jam repetam. *Zvelferus* opij tostionem commendat, ut sulphur narcoticum ipsius, immodicum, nocivum, fœtidum & venenatum exhalet. Quæ si pro Synonymis habeantur, litem ampliùs *Zvelfero* haud moveo, sed sulphur illud venenatum esse, largior; non quòd propriè venenatum existat, sed tantùm quatenus immoderatè ac inconsideratè adhibetur. Verùm posito hoc, annon ita omnis ista tostio, tanquam non necessaria & deprædatoria meritò rejicitur, cùm sulphur narcoticum, cui virtutem suam, à Medicis expetitam, debet opium, ut sic in auras abeat, quæratur?

Sin propriè venenatum esse sulphur illud, dicatur, interrogatos velim adserti hujus Zvelferiani Patronos: quibus fundamentis sententiam hanc fulcire queant? Siquidem *Dn. Hoffmanni* ratio nihil hîc efficit. Licet enim exhalans in fermentatione opij cum succo cydoniorum factâ, Gas, nimium ejus respirando haurientibus, imprimis si debili capite hi sint præditi, damnum, sive quod *Excell. Dn. D. Langelotto* accidit, obtusum capitis dolorem cum somnolentia inducat, venenatum tamen propterea dici nequit. Quis mustum & cerevisiam venenata diceret; cùm & ipsa, dum in cella vel loco aliquo clauso fervent sive fermentantur, non tantùm dolores capitis, sed suffocationem extremumque somnum inducant; ceu plurimæ Medicorum observationes id testantur? Non mirum itaque est, obtusum capitis dolorem & somnolentiam à tam potentis medicamenti narcotici, præcipuè si magna ejus quantitas fermentationi cum succo cydoniorum, in loco præterea clauso, tradatur, exhalante spiritu concitari.

Alia quæ *Zvelferi* refutandi causâ fuerunt à me prolata, nec à quoquam hactenus refutata, nolo hîc repetere, sed videri in *Pharmac. Aug. Restit. pag. 138. 139. 140.* posse, moneo, simulque amicæ huic Disceptationi finem impono.

F I N I S.